MICH. HENRICI,
ET
JO. CONRADI,

Fratrum HAGELGANSSIORUM Bigæ
COB. FRANCOR.

Biga Dissertationum Historicarum & Juris Publici,
DE
ILLO PRINCIPUM SUBLIMI TITULO

NOS DEI GRATIA,

Wir von GOttes Gnaden,

quas, dum viverent,
in Almæ Lipsiensis Academiæ Cathedra
Præside

B. FRIDERICO GEISLERO,
Philosoph. ac Jurium Doct. & Profess. Publ.
publicè defensas
nunc
ob
illustrem argumenti dignitatem
variamque observationum curiositatem
ex A A. MSS. revisas
Amicorum quorundam Monitiones
fecerunt recudi
A. O. R. cIↄ. Iↄcc. xxii.

Digitized by Google

Itteris hisce *Alii* usi fuerunt in disputationum procemiis, utar & *Ego.* Non tam quia *Nomen præsidis* subinnuunt, quam quia formulam *Pietatis votiva* (in Exordiis rerum agendarum necessariæ α.) continent. *Pietatis* formulam voco, non solum quia ad *DIVINI FAVORIS GRATIAM* provocat, sed quia etiam eadem Uni (an & Unice?) placuit Ludovico *Pio* Imp. β. Duas significavi causas: Tertiam conjicere poterit facile, quisquis cogitabit, quam *Similis & coæva* sit huic locutioni illa, quam in Rubrica allegavi, de *DEI GRATIA*. Rubro adjicietur nunc Nigrum. Quemadmodum enim seculo XII. Otto quidam Cœnobium, cui nomen ex *DEI GRATIA* inditum, ad Salem amnem in Saxonia condidit: γ. Ita ego Specimen in Saxonica hac academia publicum de *Titulo illo NOS DEI GRATIA* sistere constitui.

α. Plinii panegyr. c. 1. §. 1.

β. *Unus* ille est, cui ex Principibus placuit hæc locutio : eâ etiam *Ter* usus fuisse conspicitur *apud Iohan. Aventinum lib. 4. annal. Bojor. p. 185. pr.*

γ. De hoc Cœnobio pluribus agitur in Vitâ & Conversione B. M. Comitis Ludovici Arensteinii Ord. Præmonstratensis, quam ex monasterii Arnsteinensis bibliothecâ protulit Christoph. Brower, *& edidit Moguntiæ 1616. pag. 9. adde Brovveri notas p. 17.*

Digitized by Google

CAPUT I.

exhibens

VOCUM singularum Scrutinium.

THES. I.

THemati nostro (*Conjunctim* α spectato) præfigimus titulum *TITULI*, freti auctoritate clarissimorum Scriptorum β.

α. Confer. th. 3.

β Inprimis Generosissimi V. L. von Seckendorff im Teutsch. Fürsten-Staat *part. 2. cap. 1. n. 5 p. m. 56. G. Ph. Harsdörfferi* im Teutsch. *Secretar. part. 2. præfat. n. 14. Barth. Chassanai Consvet. Burgund. in Proœm. ad verb. par la grace de dieu. Henr. Kippingi l. 2. I. P. cap. 10. §. 17. p. 358. TITULUS* autem est *Inscriptio nominis* : non tam à *Tutando*, ut ajebat Varro; sed potius ἀπὸ τοῦ τίειν. *I. C. Scaliger de Causis Ling. Lat. cap. 12. p. 46.* Quia *Honor* & *Titulus* sæpè idem. Unde etiam *tituli Honor* legitur *apud Iust. Reinh. Robbigium in Lex. Critico lib. 3. cap. 9. p. 132.*

II.

Neutiquam tamen indignabimur, si alius vocaverit *Formulam* α., alius *Inscriptionem* β., alius *Locutionem* γ, aut *Phrasin* δ., alius *Prædicatum* ε. *Epigraphen* ζ., aut *Epitheton* η., alius denique *Clausulam* θ., aut Germanice Wort ι.

α. Ita Johan. Limnæus *in Addit. Prior. ad lib. 4. I. P. c. 6. n. 15. p. 419.* Nic. Myleri *addition. ad Rumelin. in A. B. part. 1. dissert. 1. th. 4. A. p. 15.* Theodor. Reinking. *de Regim. Sec. & Eccl. lib. 1. class. 5. cap. 6. n. 24. p. m. 601.* pluresque alii *Absque additamento*; nam Just. Reinh. Robbigius *Lex. Crit. lib. 3. c. 9. p. 132.* per προσθήκην quandam *Curiarum Formulam*, item *Pragmaticorum nostrorum Formulam* dicit. Conferatur, si collibitum sit, Johann. Henr. Hagelgans / *Parens meus p. m. in disp. 1. Lancis Satura §. 8.*

β. Vulgatum est in *Titulis & Inscriptionibus*, inquit Nic. Myler. ab Ehrenbach *de Statib. Imperii part. 1. c. 30. p. 294.* Car. vom Hagen *insti-*

institut. I. P. lib. 3. c. 1. p. 374. Hinc *Scribere*, *Inscribere*, *Scribere se.* Christ. Besold. *c. 2. dissert. Polit. th. 6. p. m. 17.*

γ. Andr. Knich. *Comment. de Saxon. non Provocandi jure, ad verb: Ducum Sax. c. 1. f. 180.* Matth. Stephani *Synops. Iurisdict. lib. 2. c. 7. n. 40.* Confer infra *part. Poster. th. 11.*

δ. Testis denuo Knichen *loc. modo cit.* Chr. Lud. Dietherrn *in addition. ad Besoldi thesaur. pract. verb:* von GOttes Gnaden *fol. 329.* Confer infra *part. Poster. th. 11.*

ε. Bened. Carpzov. *disp. Feud. 9. ad tit. 24. & 26. A. B. quaest. 4. n. 24. & 29. p. 352.* Et iterum: *Praedicatum communissimum.* Idem ibid. *n. 19. p. 352.* Hinc in tali sensu vocabulum *praedicare* adhibuit Car. vom Hagen *inst. I. P. lib. 3. c. 1. p. 374.* Addatur locus Chr. Weissens *in dissert. de moralitate Complimentor. §. 5. ibi: in Titulo praedicare Gratiam DEI.*

ζ. Chr. Lud. Dietherrus in addition. ad Besoldi thes. pract. litt. G. p. 329. a.

η. Joh. Jac. Speidelius *in speculo Iurid. Polit. litt. G. n. 155. p. 519. a.* Epitheton latino verbo, *Adjunctum* vocat I. H. Clotz. *dissert. de Titulis honorificis c. 5. §. 3. p. 41.*

θ. Huld. Eyben *apud Ahasv. Fritschium part. 2. exercit. I. P. 9. c. 9. p. 454. f.*

ι. Spathe in der Teutsch. Secretariat-Kunst *vol. 1. part. 2. c. 23. p. 465.*

III.

Inter voces *Singulatim* α. spectatas, primo loco occurrit *Vocula Pluralivi* numeri *NOS*, quae deducitur β. ab *EGO.*

α. Confer supra th. 1.

β. Secundum Declinationem; nam si Derivationem spectes, descendit *NOS* à Graeco Νῶ, adjectione literae S. uti à *NOS* κατὰ μετάθεσιν factum Germanicum UNS. Gerh. Joh. Vossius *de Analog. lib. 4. c. 4. p. 170. m.*

IV.

EGO autem est ex censu *pronominum 1. Primitivorum.*

Digitized by Google

2. *Demonstrativorum* seu *Repræsentantium*. 3. *Substantivorum* α., uti ipsis *Grammatistis* ε., constat.

α. Joh. Henr. Alstedii *Encyclopæd. lib. 6. c. 9. reg. 1. p. m. 350.*

ε. Sive *Litteratoribus*, quos à *Grammaticis* vel *Litteratis* differre probavit Joh. Wovver. *in Polymathia c. 4. p. 27.*

V.

Sic etiam *Rhetoribus* constat, eam locutionem (*NOS DEI GRATIA*) ad *Synecdochen*, qua *numerus Pluralis* pro *Singulari* ponitur, referendam esse*.

* Signatis verbis illud Exemplum offert Conr. Dietericus *in Rhetoricâ lib. 1. c. 13* §. *3. p. m. 84.* ubi simul ita ratiocinatur: numerus *Pluralis* significat multa, & consequenter includit *Singularem*, qui Unum significat. & ita *Genus* est *Singularis*: hic verò ejus *Species*.

VI.

Propterea *Politioris* styli aut conversationis cultores illud (*Modestiæ* amore α.) observant, ut τὸ *EGO* potius *Postponant* mentioni *ALIORUM* quàm *Præponant* β. Indeque taxant Thom. Wolsæum, Cardinalem, qui, cum debuisset dicere: *Rex* meus & *Ego*; dicere tamen consuevit: *Ego* & *Rex* meus γ.

α. Quamvis enim provocabulum EGO sit character *Primæ personæ*, & v. c. Rex Tertiam demum personam afficiat; tamen *Tertiæ personæ* prior habenda est ratio quam *Primæ*; sic suadente non *Grammatica*, sed *Ethica*, nam uti quandoque *Ethica* cedit regimini *Medico*: ita *Grammatica* prudenter agit, si nonnunquam cedit *Ethicæ*. Quod innuisse videtur Ferdinandus I. Imp. cujus ad Episcopum improvidum voces exhibet Jul. Wilh. Zincgräfius *in apophthegm.* Teutscher *Nation p. m. 77.* Conferatur vox Sigismundi Imp. ad Legatum Pontificium apud eundem p. 45. pr.

β. Videatur Spathens Teutsche Secretariat-Kunst *vol. 1 part. 2. c. 23.* §. *3. p. 472.* & Gerh. Feltman, *de Titulis honor. c. 57.* §. *7. p. 241.*

γ. De quo solœcismo eleganter judicat Joh. Ovvenus *lib. un. ad Heroinam D. Arbellam Stuart. epigr. 69. p. 81.*: Di-

Dicere *Grammatices* ratio permittit, EGO & REX;
Ethica te jubet ars dicere, *Rex & Ego.*
Hæc est nimirum *Vivendi* ars, illa *Loquendi*;
Principis hæc *Aulæ* serviat, illa *Scholæ*.

VII.

In *Recessuum Imperii* subscriptionibus *Proceres Seculares* plerumque vocula **Wir** usi fuisse deprehenduntur α. Idem à *Cæteris* factum; paucos si exceperis, quibus *Variatio* β. placuit.

α. à Joh. Limnæo *lib. 4. I. P. c. 6. n. 14.*

β. Per voculam **Jch**. Nam in subscriptione Recessus Spirensis *de An. 1544. §. 104.* legimus: **Jch Gerwig Abt zu Weingarten.** In Recessu Trevirensi & Coloniensi *de An. 1512. §. 30. in fine*: **Jch Bernhard Graf zu Solms.** In R. de An. 1544 §. 104. *in f.* **Jch Friederich Graf zu Fürstenberg.** In subscriptione verò **des Käys. Land-Friedens** de An. 1548. §. 7. Idem Fridericus Comes Fürstenbergicus *Plurali numero* accessit; quòd etiam à laudato Abbate Weingartensi factum noscitur in subscript. Recessus Augustani de An. 1548. §. 108. fin. & in subscript. Recessus de An. 1551. §. 109. fin.

IIX.

Quamvis Princeps de *Se* loquatur tanquam de *Pluribus* α.; tamen *DEUM*, Principem summum, recte compellat in numero *Singulari* β.

α. Vide præced. th. 7. & c. 3. th. 2.

β. Ratio, quia magis Honorificum est, si quis cum cœlesti principe in *Singulari*, non *Plurali*, numero loquatur. Cum enim dico: quæso Te Christe DEus! TE appello Salvator meus! in *Solo ipso* magis cuncta reposita esse demonstro; ac si dicerem: VOBIS supplex sum Optime DEus! VOS appello suavissime JESU! Vid. Petr. Lindenbergius *in præfat. ad tract. de Numerorum Præcipuor. Mysterio p. 562.* Confer infrà hujus cap. 1. th. 29.

IX.

Curiarum illam formulam, quâ, permutatis quasi sedi-

bus, *NOS* ponitur pro *Ego*, ipsi *Grammatici*, auctoritate Plauti α., Virgilii β., Ciceronis γ., Aliorumque δ., defendunt.

α. Locus exstat Bacchidibus *act.* 4. *sc.* 8. *v.* 45. ubi Chrysalus ita:

& *Ego* te & illum *mactamus* infortunio.

Quò loci exemplum adprime elegans (inquit Robbigius) & sane singulare atque huic rei proficuum deprehendimus. Si autem *Ego mactamus* latine dictum Plauto est, hujus exemplo etiam diserte latineq; dicetur *Curiarum Formula*: NOS DEI GRATIA. Duorum enim personam repræsentare, & Duplicem considerationem induere Unum, non est novum, *arg. l. non est novum 10. ff. de act. empt. & vend.* junct. *l. si Paterfam. 15. §. 1. ff. d. Adoption. l. cum filiofamilias 11. ff. d. Leg. 1. l. debitor. 59. in f. ff. ad SC. Trebell l. si reus 13. de duobus reis l. 1. §. communis servus 4 ff. de stipul. Servor. l. Heres 21. de Fidejussor. & Mandator.* Non aliter de Principum nostrorum *Formula* existima: Illi enim *Una sub persona Multos*, i.e. *Populum* referunt: quatenus *Populus Principi & in Principem omne imperium suum & potestatem concessit §. Sed & quod Principi 6. Inst. de I. N. G. & C. l. 1. ff. de Constit. Princip.* atque adeo Unus Multorum vicem repræsentare valet. Cum jus Omnium in Unum reciderit *l. 7. in f. ff. quod cujusque Univers. nom.* Nam quoties Plures repræsentat Unus, idem juris de Uno, quod de Pluribus, statuendum *l. & Proculo 20. ff. de Legat. 2. l. 44. §. 8. & ibi Gothofr. n. 46. d. condit. & demonstr.* Ut sic vox illa Democriti (apud Senecam *lib. 1. Epist. 7. n. 33.*) verè de Principe dici possit: *Unus pro Populo est, & Populus pro Uno.* hactenus I. R. Robbigius *Lex. Crit. lib. 3. c. 9.* Conferri etiam posset B. Parens meus *in disp. 1. Lancis Satur. §. 8.*

β. Verba & votum lib. 9. Æneid. v. 525.

VOS, ô *Calliope*, precor, adspirate canenti!

γ. Sic M. Tullius (ad Brutum) de semetipso & solo ait: NOS populo *imposuimus*. & Oratores visi *sumus*. i.e. Ego Cicero imposui, & Orator visus sum. In quibus locutionibus semper per *Pluralem Singularis* numerus intelligitur. Habet nimirum hoc Latina lingua, ut *Grammaticorum* canones interdum perrumpat, & liberiore campo ex-

cur-

tat. Quod qui indigne ferunt exotici homines, male sane de bonis auctoribus merentur: Verba sunt B. Parentis mei *disp.1 Lanc. Satur. p.15. sqv.*

3. Qui plura exempla desiderat, videat I.R. Robbigium *Lex. Crit. lib.3. c.9. p.130. seqq.* in quibus tamen omnibus nihil insolentius locutione hac: *Præsente Nobis*, aut *Omnibus*, cujus auctores sunt Plautus *Amphitr. act.1. Sc.2. v.194.* & ipse Terentius *Eunuch. act.4. Sc.3. v.7.* nescio quid profecto *absente nobis* turbatum est domi. Sic etiam Tibullus *l.3. eleg. ult.*
Perfida nec merito *nobis* inimica *merenti*.

X.

Nullumque est dubium, quin talem locutionem ipsa *Consuetudo* α. & *Usus*,
quem penes arbitrium est, & *vis*, & norma *Loquendi* β;
excuset γ.

α. Sermo autem constat *Ratione, Vetustate, Auctoritate* & *Consuetudine.* Quintilian. *Instit. Orat. lib.1. c.6. p.33. m.*

β. Horatius *Lib. de arte Poët. v. 72.*

γ. Scio quidem, ipsum M. Fab. Quintilianum solicitum fuisse de eo casu, quo quis *Unum* ad se vocat, & dicit *Venite*. Ita enim habent ejus verba, *lib. 1. instit. Orat. c. 5. p. 28*: illud eruditius quæritur, an in Singulis quoque verbis possit fieri Solœcismus: ut, si *Unum* quis ad se vocans, dicat: *Venite*; aut, si *Plures* à se dimittens ita loquatur: *Abi*, aut, *Discede*. Enimvero ad hæc satis respondet I. Limnæus *lib.4. I.P. c. 6. n.1.* Postquam, *inquiens*, hominum lubido verbis & loquendi formulis, normam & arbitrium, quod voluit, dedit, frustra quis ad artificium & vetustatis canones provocabit; sed & Moribus & Verbis uti cogetur præsentibus.

XI.

Certe *Pontifex Romanus* nunquam α. de *Se* loquitur in Singulari β.; &, si in Rescripto aut Mandato γ. contrarium reperitur, vitiari id scribit Rofredus Beneventanus δ.

α. Excipitur tamen Salutatio & sermo Familiaris. Ad hunc etiam (secundum I. Lipsium *in Epistolica Instit. c.9. p.1034.*) Epistolæ spectant, de quibus *parte 1. c.1. th. postea & th. comprimis*,

β. Si-

β. Sicut ad *Alios* rescribens non loquitur in *Plurali*. Vitiatur quippe Rescriptum quod ad *Aliquem* cum voce VOS vel VOBIS emanat, uti post Abb. & Bald. tradit Georg. Açac. Enenckelius *in Tr. d. Privileg. lib. 1. c. 9. n. 36.*

γ. Notabile igitur est cap. nihil 2. extr. De præscription. ubi Gregorius Papa dicit: futuris post ME' Pontificibus. Quam voculam ad magnam *Humilitatem* ibidem refert Abbas glossator.

δ. In Tr. de Judicior. Ordine *pag. 8. sub rubr. de Constit. meminerint. n. 5. p. 412.*

XII.

Papam imitantur *Hospitalarii*, qui etiam in *Plurali* subinde loquuntur α. Sic etiam *Tremoniæ in Vestofalis* β, consuetudine longa introductum est, ut Judex de se ajat, *NOS Judex*, licet nullo sit stipatus *Assessore* γ.

α. Georg. Acac. Enenckel. *in Tr. de Privil. lib. 1. c. 9. n. 36.* Unde reprehensus fuit quidam *Hospitalarius*, qui dixerat, quod tunica esset *Sua*, fuitque injunctum, ut diceret *Nostra* tunica. Cum itaque aliquando infirmus sentiret dolores & diceret: væ *Nobis*! dixit illi coarguens Magister: væ *Tibi*. Regessit ille: mala est responsio *Vestra*, quæ dolores jubet esse *Proprios*, & tunicam *Communem*.

β. Zu Dortmund in Westphalen.

γ. Gerh. Feltman. *de Titulis Honor. c. 57. §. 6. p. 241.* ubi insimul monet, tali Judici ideo non posse objici illud, quod in Ambitiosos vulgo torquetur:

—— —— NOS poma natamus!

Objicientem enim teneri actione Injuriarum. *arg. L. 13. §. 7. ff. de Injuriis.*

XIII.

Neutiquam tamen in hunc censum trahendus est *Prætor Romanus*, quasi sc. in interdicto suo (*uti possidetis*) in *Plurativo* numero *Unum* aliquem possessorem allocutus fuerit *.

* Nam hanc sententiam aut potius somnium Explodit rectissime Hu-

go

go Donellus *lib.15.c.32.S.p.1358.ibiq; Hilliger.* Quia enim interdictum UTI POSSIDETIS est Duplex, ita ut *Duo* contendant, se *Possessores* esse, ideo Prætoris verba non sunt *uti Possides*, sed uti *Possidetis.*

XIV.

Privatus aut Inferioris conditionis α. homo abstinet ab illo *NOS*, si nolit sibi allegari illud vulgatum — *NOS* poma natamus β.

α. Eadem mens est I. I. Speidelii *in specul. Iuris, litt. vv. n.118. p.1364.a.* ubi ait: Decorum est, homines de *Seipsis Modeste* & *Humiliter* loqui, de *Aliis* vero *Honorifice* potius & cum Dignitate.

β. Vult enim lex Decori, ut de *Nobis* ipsis *in singulari* tantum numero, de *Aliis* vero *in Plurali* loquamur. Gerh. Felt. *de Tit. Honor. c. 57. §.5. p.241.*

XV.

Quin & in *Dignitate* positis convenit, ut apud *Superiores* illud *NOS* dissimulent*.

* Sicut Generosiss. V. L. von Seckendorff/ im Teutschen Fürsten-Staat *P. II. c.1. n.5. p. m. 56.* commode scribit: Es pfleget kein Land-Stand/ wenn Er gleich Gräfliches Standes ist/ sich/ wenn er mit seinem Lands-Fürsten redet/ oder ihm schreibet/ WIR zu heissen/ wie der Lands-Fürst von sich zu schreiben pfleget/ &c. Et *P. II. c.2. n.2. p.61:* Ein Fürst des Reichs ist bey Erhaltung seines Fürstl. Standes/ Ehre/ Macht und Hoheit schuldig/ zu förderst den Respect, Ehre und Hoheit des Teutschen Reichs/ und der Käyserl. Majestät vor Augen zu haben/ und nicht/ wie gegen andere/ sich von GOttes Gnaden/ und WIR/ sondern nur ICH zu schreiben. Cum quibus consentit Th. Reinking *de R.S.& E. lib.1. cl.5. c.6. p 624.* Et certe Modestiæ hujus meminisse debebant quidam Calviniani Nobiles in Galliâ, quibus, quia apologiam suam his exorsi fuerant verbis: HUC NOS venimus, &c. Inditum fuisse perhibetur nomen *Hugonottorum*, referente J. Limnæo *in notitia Regni Franc. l.1. c.7. litt.o. pag.162. in fin.* Addatur tamen Thuanus & Strada apud Georg. Hornium *Orb. Imperant. period.3. can.1. edition. Fellerianæ p.230. qui de origine hujus vocis aliam adducunt rationem.* Melius scenæ (quod dicitur) inservüt Bertholdus de Zæringen, qui, ne in Imperatorem, à

quo Principatum tenebat, videretur injurius, in DEUM vero improbus, conceptis hisce verbis uti maluit : EGO Bertholdus de Zæringen, Dux & Rector Burgundiæ, DEI & IMPERIALI GRATIA. Ben. Carpzov. *disp. Feud. 9. ad tit. 24. & 26. A. B. quæst. 4. n. 20. p. 352.* Pithæus *lib. 1. de Comitibus Champagniæ.*

XVI.

Comprimis quia & *Summi* principes apud eum, quem forte *comiter* observant, potius *EGO* dicere soleant, quam *NOS* *.

* Observavit hoc Joh. Limnæus *lib. 4. I. P. c. 6. n* 11. & ex eo *κατὰ πόδας* I. I. Speidelius *Specul. Iurid. litt. G. n. 155. p. 520. a.* in exemplo Caroli V. Imp. qui nonnunquam Hispanica lingua conceptis literis interpellabat Pontificem, iisque vel Sua, vel Secretarii manu exaratis. Quas propria exaraverat manu, illarum hæc inscriptio: Al nuestro muy Sancto Padre: & in initio: Muy Sancto Padre: in fine: de S. Sanchid humilde Hijo El Rey. Et quando hoc scribebat modo, charta erat parva, & literæ satis arcte complicatæ, quibus dum Sui faciebat mentionem, *Singulari loquebatur numero.* hæc Limnæus. Dum autem hæc scribo, incidit LEOPOLDI *hodie Imperatoris Augustissimi* epistola, qua, ut Electores conventum Deputatorum (vulgo Deputation-Tag) Francofurto Ratisbonam transferrent, gratiose rogat. Ejus tenor ad Sereniss. Electorem Saxon. JOHANNEM GEORGIUM II. transcriptus ita sonat:

Durchläuchtiger/ Hochgebohrner lieber Oheimb und Churfürst.

E. L. ist bekant/aus was für eingefallenem Bedencken man die Reichs-Deputations-Handlung zu Franckfurt zu reassumiren die Zeit hero angestanden/ und was auch MICH bewogen/ daß ICH mit Abordnung und instruirung der MEINIGEN nacher besagten Franckfurt in- und zurückgehalten habe: nicht weniger wird E. L. verläßliche Nachricht eingelangt seyn/wie inständig die zu Franckfurt anwesende wenige Gesandte/ und förders Chur-Mäyntz. L. selbst darauf dringen und verlangen/ daß nicht allein die Deputations-negotia, sondern auch andere in die allgemeine Reichs-securität einlauffende Sachen dabey vorgenommen werden solten ꝛc. in fine adduntur hæc

hæc: Hieran erweisen MJR E. L. nechst deme/daß es zu desto mehrer Beschleinigung obberührter Reichs- und Friedens-Geschäfften gereichen wird/ ein sonder angenehmes Gefallen/ und JCH verbleibe Deroselben mit &c. Wien den 30. Jan. 1659.

LEOPOLD.

Similiter quoque ad reliquos Electores & Principes Deputatos rescriptum est: præsertim autem in Rescripto ad omnes Principes Deputatos de dato Wien den 8. Jul. An. 1659. Idem etiam liquet ex literis invitatoriis Imperatoris ad Elect. Trevirensem, ibi: Gleich wie MJR nun von der Churfürsten in Bäyern/ Sachsen/ Brandenburg und Pfaltz/ L. L. L. L. die Nachricht eingelangt/ daß Sie die Ihrige/ sobald nur die MEJNE Gesandten zu besagten Regenspurg angelanget seyn/ und Sie also von MEJNER Verordnung beständige Nachricht haben werden/ unverlängt dorthin abordnen wolten: als ersuche JCH Ew. L. hiermit gantz freund- und gnädiglich/ sie wollen Ihre Gesandten nunmehro auch mit dem förderlichsten nacher Regenspurg abordnen/ und JCH verbleibe Ew. L. &c. Wien den 22. Jun. An. 1659.

XVII.

Fatendum tamen est, Principes etiam extra illos duos casus (qui scil. in *Superioritatis* aut *Venerationis* ratione fundantur) illud *EGO* maluisse*.

* Exempla sunt obvia. Sic Henricus IV. Imp. in epistola ad Hildebrandum s. Gregorium VII. P. R: EGO Henricus Rex DEI Gratia cum omnibus Episcopis nostris, &c. attestante Justo Reubero in historia Impp. fol. 190. in fin. EGO Alberto Gratia DEI Leodiensis Episcopus notum facio præsentibus, &c. Marc. Zuer. Boxhornius *in Tr. de Leodiensi Republ. p. m. 474.* EGO Balduinus D. G. Rex Jerusalem Latinorum & Francorum I. verba sunt Wilh. Tyrii *lib. 11. c. 12.* qui Balduinum facit primum Regem. Non obstantibus iis, quæ vulgo de Gothofriedo Lotharingiæ Duce (qui alias Bullioneus dicitur) referunt. Licet enim hic post expugnationem creatus fuerit Rex Hierosolymorum, *Titulo regis* tamen usus nunquam fuit. Vid. Georg. Hornii *Orbem Imperant. can. 6. de Bello Sacro §. 2. p. 40. sequ.*

XVIII.

Disquirentibus, cur Princeps frequentius scribat *NOS*

 Dei

Dei Gratia, quam *EGO Dei Gratia*, variæ occurrunt Responsiones. Ex iis illud (summatim) constat, eam locutionem non ad *Superbiæ* sed *Modestiæ* α. ἐυρήματα, nec ad *Vanitatis* sed *Auctoritatis* 6. argumentum referendam esse.

α. Uti agnoscit Desid. Erasmus Roterod. *de Conscribend. Epist. fol. 62. edition. Amsterodam.* ubi peculiariter de consuetudine *Unum Multitudinis* numero compellandi, agit, taxatis (uti ipse vocat) *Vossitatoribus*. Confer rationes in sequentibus thesibus adducendas.

6. Videatur *c. quam gravi, 6. extra de Crimine falsi. ibique Glossa. c. pluralis 40. ubi gl. de R. I. in 6.* Generosiss. Dn. V. L. von Seckendorff im Teutschen Fürsten-Staat *P. II. c. 1. n. 5. p. 56. ibi:* seinen Vorzug vor seinen Unterthanen anzeiget. Confer Theseos sequentis rationem.

XIX.

Rationes (in *Specie*) hæ sunt: 1. quia sic Princeps *nihil Singularis potestatis* sibi adscribere videtur*.

* Hæc ex mente Petr. Lindenbergii *in præfat. Tr. de Numerorum præcipuor. mysterio p. 561. f.*

XX.

2. Quia Princeps bonus *Tyrannidis speciem effugit*, si potestatem *cum aliis Communem* se habere fatetur*.

* Ductu Desid. Erasm. *de conscribend. Epist. pag. 65.* ubi dicit: Tyrannicum videtur, potestatem cum Nullo prorsus habere communem.

XXI.

3. Quia prisci Reges eo ipso ostendere voluerunt, non se *Solos*, sed arbitrio *Populi* aut *Consilio* eorum, qui sibi ab arcanis essent, aliquid decrevisse*.

* Iterum sequor ductum Erasmi *de conscrib. Epist. f. 65.* juncto Gerh. Feltman. *de Titulis honorum c. 57. §. 1. p. 239. seq.* Quibus simillima sunt hæc verba P. Lindenbergii *in præfat. tr. de Num. præcip. Mysterio & Nobilit. p. 561. in f.* Principes agnoverunt, se non *Libera*, sed *Restricta & Communi*, Procerum videlicet & Populi, potestate uti.

XXII.

XXII.

4. Quia tunc Princeps non solum *Propriæ* sed etiam (uti loquitur I. Lipsius α) *Mutuatitiæ* sapientiæ aliquid tribuit β.

α. *lib. 3. Polit. c. 2. §. 2. in marg.*

β. Hæc lucem accipiunt ab his P. Lindenbergii *in præf. tr. de Numer. myster. & nobilit. p. 561. fin.* verbis: illud *NOS* DEI Gratia *Modestia* summa peperit. Ut ita Princeps se non Solum consultare, non Solùm cuncta *Sua Virtuti* arrogare, non Solum præclara facinora perpetrare; verum omnia sese, post DEUM, prudentia fideque insignium *Consiliariorum*, opera & ope agere iisque egere & semper uti, testetur.

XXIII.

Præterea 5. illud *NOS* denotat *Magnitudinem* α. facitque 6. ad *Amplificationem dignitatis & honoris* β. 7. quia Princeps, cum *Aliis* comparatus, ratione *Meritorum, Multos* æquat γ. 8. quia Princeps, etsi *Unus* sit, tamen *Plures* δ. imò *totum Populum* repræsentat ε.

α. Videatur, Joh. Christoph Beckmannus *in notitia Dignit. illustr. dissert. 1. c. 3. §. 6. p. m. 19.*

β. Uti loquitur prædictus Beckmannus *loco jam alleg.* adductis variis Hebraismis, nimirum Malach. I, 6. Gen. XLII, 30. Deut. X, 17.

γ. Principes *Pluribus* æquipollent, inquit Alb. Zenner. *ad c. 40. de R. I. in 6to. n. 1. p. 354.* Sic I. Limnæus *lib. 4. I. P. c 6. n. 3.* ait: ut homines *Imperatoribus* & *Superioribus* singularem aliquem viderentur attribuere *Honorem*, TU in VOS &c. adde th. 25. litt. β.

δ. Vide Gerh. Feltman. *tr. de Titulis honor. c. 57. §. 2. p. 240.* I. I. Speidel. *spec. Iur. litt. G. n. 154. p. 520. vers. Originem.*

ε. Huc pertinent verba in hac parte 1. th. 9. litt. α. Et verba Parentis mei *in disp. 1. Lancis Satura §. 8. ibi:* Princeps *Una* sub persona *Multos* id est, *Populum* refert.

XXIV.

Uti Princeps mentionem sui facit per *NOS*: ita eun-

dem adhibita vocula *VOS* α. aut *VESTER* β. *Plerumque* γ. alloquimur.

α. Id quod Reverentiam sapere putat J. Limnæus *lib. 4. I.P. c. 6. n. 3.*

β. Exemplo suo hoc probat aut recte illustrat Rudolphus II. Imp. (*referente Limn. loc. c. n. 11.*) qui ad Pontificem Latinas solitus fuit dare literas hujus principii: Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime. Et in contextu: Sanctitas VESTRA. Et in fine: Ejusdem Sanctitatis VESTRÆ obsequens Filius *Rudolphus*.

γ. *Plerumque*, inquam? nam *Quandoque* præstat voculam TE, quam illud VOS ingeminare. Honorificum enim magis est *Principi*, inquit P. Linderberg. *praef de Num. pracip. myster. p. 562. pr.* si, uti Princeps cœlestis (DEUS) in *Singulari*, non *Plurali* numero salutatur. Cum enim dico, quæso TE Christe DEUS, TE appello Rex Christianissime, *in Solo ipso magis cuncta reposita esse demonstro*; ac si dicerem, VOBIS supplex sum Optime DEUS, VOS appello Domine Rex.

XXV.

Cujus rei *Originem* (incognitam licet Sim. Majolo α.) sufficienter investigavit I. Limnæus β.

α. tom. 2. dier. Canicular. colloqu. 3. pag. 56.

β. Ita *lib. 4. I. P. c. 6. n. 3.* scribens: mihi ad certius aliquod Fundamentum adspiranti, probabile est, hoc tunc temporis apud *Romanos* cœpisse, & postea ad NOS translatum, quando libertate declinante homines occipiebant Imperatori & Superioribus caudam trahere & adblandiri, tam verbis, quam factis. Ut enim vel in hoc quoque singularem aliquem illis viderentur attribuere honorem, TU in VOS transformare allaboraverunt: ac si eo vellent significare, quasi is, cui hoc darent, comparatus cum aliis, *ratione Meritorum multos aequaret.* Tandem verò, cum hic *Adulatorum* loquendi modus profundas egisset radices, & Principibus reliquisque arrideret, etiam alii *Sincerioris spiritus* hanc fuere coacti sequi regulam, ne alias ipsi viderentur *Impolitioris ingenii*, & honoris Superioribus competentis negligentiores. Addi hisce merentur quædam lepida & vera apud Des. Erasmum *de conscrib. Epist. f. 65.*

XXVI.

XXVI.

Inter *Primos* autem, qui pronomen *PLURALIS* numeri Principi ſuo applicavit, eſt Plinius Secundus α. aſſeclam civilitatis aut adulationis nactus Jul. Capitolinum β. Quorum veſtigia poſtmodum etiam preſſit ipſe S. Cyprianus Carthaginenſis γ.

α. Verba ejus ad Imperatorem Trajanum ſunt ſequentia: Ut primum me, Domine, indulgentia VESTRA promovit ad Præfecturam ærarii Saturni, *lib. 5. ep. 20.* Conferri tamen poſſet ἐπίκρισις arguta I. Lipſii *in notis ad C. Plinii Secundi panegyr. c. 91. n. 1. p. 159. editionis Friſchman.*

β. Qui in vita M. Antonini Pii ad Diocletianum Imp. ſic declamat: M. Antonius Deus etiam nunc habetur, ut VOBIS ipſis, ſacratiſſime Imperator Diocletiane, & ſemper viſum eſt, & videtur: qui eum inter Numina VESTRA, non ut *Cæteros*, ſed *Specialiter* veneramini, ac ſæpe dicitis: VOS vita & clementia tales eſſe cupere, qualis fuit Marcus.

γ. Ad Cornelianum (*uti vocat I. Limnæus*, ſed I. C. Dieterichius *in breviario Pontificum ad A. C. 254. p. 51.* vocat Cornelium) Pontificem Rom. ſcribens: Cognovimus, frater chariſſime, fidei ac virtutis VESTRÆ teſtimonia glorioſa, & confeſſionis VESTRÆ honorem ſic exultanter accepimus, ut in meritis & laudibus VESTRIS, nos quoque participes & ſocios computemus. Et eadem in Epiſtola: DOCUISTIS granditer Deum timere.

XXVII.

Poſtea ipſorum Imperatorum α., Regum β., & Pontificum γ. ſtylus non abſtinuit tali ſcribendi genere apud *Egregias perſonas.*

α. Juſtiniani ad Johannem Pontificem epiſtola (ſiquidem γνήσιον & non Suppoſititium ſcriptum eſt: nam *Pro illa* ſcripſit Andr. Fachinæus *lib. 8. c. 1. p. 616.* *Contra* eam vero Fr. Hotomannus *lib. 1. Amicab. reſponſ. c. 1.*) diſerte hoc teſtatur. Exhibetur ea epiſtola in L. 8. C. de ſumma Trinitate.

β. Eo enim pertinent multæ Epiſtolæ, quas M. Aur. Caſſiodorus, nomine Regis Theodorici ad Imperatorem Conſtantinop. ad Patricios & alios conſcripſit. *Vide lib. 2. ep. 18. lib. 3. ep. 33. pr. &c.* γ. Com-

Digitized by Google

γ. Commode succurrit epistola Johannis ad Justinianum Imp. exarata, in qua cumulus Exemplorum extat. Confer paulo ante citatam L. 8. C. de summa Trinitate.

XXVIII.

Hodiè quoque obtinet, ut Principes Imperii nostri in literis Germanice conceptis *Doctorem* aut *Sacerdotem* non appellent, nisi in numero *Plurativo* (Ihr/Euch) α. quamvis in *Nobilium* compellatione numerus *Singularis* (du/dir) frequentetur β.

α. Henr. Kornmann. in Respons. de Judæis n. 36: Die Fürsten Dutzen ungewöhnlich einigen Priester oder Doctorn; ausgenommen die Herren von Oesterreich &c.

β. Hoc ipsum G. Ch. Walther. *de Doctorum statu & jurib. c. 9. § 53. p. 137.* inter Præeminentias, quibus Doctores præ Nobilibus radient, refert. Ast vero dubito an hoc consentiat cum hac Justi Georg. Schottelii von der Teutschen Haupt-Sprache *lib. 2. c. 12. p. 415. a.* observatione: Vor Alters haben alle Edelleuthe einander geduzet/ welche sie aber nicht vor Edel gehalten/ haben sie geihrtzet/ dabey abzunehmen/ daß er ein Bürger und nicht ein Dutzens-Genosse gewesen.

XXIX.

In rebus Gestis enarrandis aut allegandis, consuetum non solùm est, sed etiam concessum α., ut ad *Alterius* personam sermo in *Singulari* numero dirigatur β.; è contrà verò *Propriorum* factorum recensus *Plurali* numero constet γ.

α. Ratio, quia Aliorum dignitatem Minuere videtur, qui iis alium, quasi *Socium* rerum gestarum, adjungit. P. Lindenberg. *in præf. tract. de Numeror. præcip. mysterio p. 562. m.* Confer dicta th. 8.

β. Sic orator Cæsarem allocuturus rectius dixisset: TU Pompejum superasti; quam VOS Cæsarem superastis. I. Speidel. *Specul. litt. VV, n. 118. p. 1364. a.*

γ. Ratio, quia *Modestius* loqui videntur, si quæ ii *Soli* egerunt, *Plurali* numero exprimant, hoc modo: multa Scripsimus, plura negotia

Con-

Confecimus, magnam consecuti sumus gloriam; quasi non Soli, sed aliis *Adjutoribus* ea præstiterint. P. Lindenberg. *l.c.p.562. m.* ubi simul ad scriptorum Classicorum auctoritatem provocat, eundemq; scribendi modum à Joh. Caselio Academiæ Juliæ & retro Universitatis Rostochiensis Professore Primario mordicùs observatum fuisse refert.

XXX.

Vocabulum WIR in capitulationum Cæsarearum formulâ (WIR sollen und wollen) positum, de *Electoribus* & *Rege Germanico* intelligendum *.

* Priora verba Wir Sollen/ respiciunt Electores, qui aliquid eligendo imponunt; Posteriora autem eaque molliora verba Wir Wollen/ consensum & obligationem Electi denotant. J. Limn. *ad Capitul. Caroli V. in prolegomen. sect. 6. n. 9. p. 16.*

XXXI.

Hactenus de voculâ *Trilitterali NOS*: nunc etiam de venerabili & apud multas gentes *Quadrilittero* * nomine *DEUS*.

* Quo de videri potest Joh. Heidfeldii *Sphinx Theolog. c. 2. p. 19.* P. Lindenberg. *de Numer. præcipuor. mysterio c. 4. § 4. p. 615.*

XXXII.

DEUM autem hoc loco non secundum *Existentiam* α., nec secundum *Definitionem* β., nec secundum *Causas* γ. aut *Attributa* δ., considerabimus;

α. quam Omnium gentium consensus approbat. Ἅπαντες ἄνθρωποι σχεδὸν ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι τὸ Θεῖον i.e. Omnes homines tam Græci, quam Barbari, DEUM ESSE existimant. Sextus Empyricus lib. 8. advers. Mathemat. p. 320. A. ex Platone X. de Rep. pr.

β. Utpote quæ apud *Logicos* creditur esse *impossibilis*, apud *Theologos* autem *Difficilis* aut certe *imperfecta*. Phil. Henr. Friedlibii *medulla Theolog. in loco de DEO in genere qu. 4. p 93.* ubi recte ait: *descriptio Theologica* est τῶν Πιστῶν s. Credibilium; *definitio Logica* est τῶν Ἐπιστητῶν s. Scibilium. Et Dav. Wasius (in encycl. Philosoph. ax. 153. p. 530.) ait: DEUS Logica & Perfecta *definitione* comprehendi non potest.

Digitized by Google

γ. Quia DEus est Æternus à priori & à posteriori. J. H. Alstedii *Encycl. lib. 12. part. 1. c. 3. reg. 9. p. 634. b.* Hinc veteres repræsentarunt DEUM per Annulum seu Circulum, qui principio caret & fine. Videantur plura in hanc rem apud Hierem. Drexel. *consider. 1. de Æternitate §. 1. p. m. 4.*

δ. De quibus consulendi sunt *Pneumatici* & *Theologi*, ne contra leges disputantium (de quibus Andr. Pruckner. *de artific. disputandi part. 1, tr. 1. sect. 1. c. 1. art 3. reg. 2. p. 93.* committamus μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος.

XXXIII.

Sed saltem secundùm *Effectum* quendam; qui consistit in *Magistratus politici constitutione* *.

* Joh. Frid. Königs *Theol. Positiv. part. 3. §. 977. p. 272.* J. J. Birckenrod. *in synops. Locor. Commun. Theol. art. 37. §. 1. p. 314.*

XXXIV.

DEO autem auctore *MAGISTRATUM POLITICUM* constitutum fuisse, non solùm ex lumine *Scripturæ α.*, sed etiam ex lumine *Naturæ β.* cognoscere potuerunt Principes.

α. *Sacræ Scripturæ radios*, utpote illustriores, notiores esse puto. Eccui enim innotuit vox vel Apostoli Pauli *ad Rom. XIII, 1. 2. 3. 4. 5.* vel Danielis *II 21. & 37.*? Unde & Magistratus, quia *Divinitus* commisso munere funguntur, ab ipso DEO DII vocantur. Psalm. LXXXII, 6. Huic non absimile est, quod Proverb. VIII, 15. Sapientia æterna ingeminat: per ME Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt: per ME Principes imperant, & Potentes decernunt justitiam. Non commemorabo alia, quæ quamplurima ex libris sacris dici deducique possent. Vid. Jac. Alemann. *Palæstra Consultationum Iuris 3. p. m. 99. sequ.* Pertinet huc, quod alicubi refert Tob. Wagner. *in Instit. Histor. lib. 2. c. 1. p. m. 113*: causa Efficiens Monarchiarum est DEUS, quod Scriptura S. frequentissime testatur: quin ipsi Monarchæ, dum verbo DEI illuminantur, id profitentur, quando GRATIA DEI se constitutos esse agnoscunt, ut Gul. Lamormainus *lib. 2.* de Ferdinando II. Imp. refert: *DEUM suo arbitratu his illisve dare Imperia & Regna, humanis ad hoc aut opibus aut potentia non egere, quas dare & auferre potest, cum lubet.*

β. Na-

6. *Naturalis luminis scintillas* hinc inde apud Gentiles scriptores obserues. Notum M. Terentii ad Tiberium Imp. dictum (*notatum è Tacito lib. 5. Ann. c. 8. §. 6.*) Tibi summum, inquit, rerum judicium DII dedere. Sic etiam Plinius *in Panegyrico c. 80. §. 5.* putat, Principem dari à DEO, qui erga hominum genus *Vice sua* fungatur. Similiter Artabanus (Darii regis Prætor) & Menander græcus Principem vocarunt Εἰκόνα Θεῶ, Barn. Brissonius *de regno Persarum lib. 1. p. 8.* JUPITER Capitoline, & Auctor & Stator Romani nominis (*precatur Vellej. Paterc. lib. 2. c. ult.*) protege hunc statum!

XXXV.

Imò originem illam (divinam) non solùm *Cognoverunt*, sed etiam perquàm ingenuè & secundùm canonem illum (*Effectus* testatur de suâ *Causa* α.) multoties contestati sunt. Uti constat de *Constantino* I. M. β. *Justiniano* I. M. γ., *Henrico Aucupe* δ. *Ottone* I. M. ε. *Ludovico Bavaro* ζ, *Carolo* IV. η, *Friderico* III. θ, *Maximiliano* I. ι, *Carolo* V. κ. *Rudolpho* II. λ, quibus & *Græci* & *Turcici* μ. Impp. jungi queunt meritò.

α. Andr. Meurers Regul. element. 14. n. 14. p. 51.

β. *c. Constantinus 14. ibi:* unde coram DEO vivo, qui nos Regnare præcepit *dist. 96.*

γ. *arg. l. 1. C. de V. I. E. in pr. ibi:* Imperium nobis *à Cælesti Majestate* traditum. *l. 1. C. de off. Præf. Prat. Afric. Nov. 28. c 4. in fin. Nov. 47. c. 1.*

δ. Qui filium Ottonem M. apud Wittich. (*lib. 2. Rer. Saxon.*) alloquitur: En tibi, inquit, Imperium non à Majoribus mihi relictum, sed per Memetipsum acquisitum & à SOLO DEO concessum. Vid. Christoph. Lehman. *in Chron. Spirens. l. 5. c. 68. f. m. 557.* Joach. Cluten *in Syllog. rer. quotid. th. 5. litt. E. p 14. f.* Frid. Hortleder. *lib. 1.* Reichs-Händel *c. 2. n 6. & 7. p. 27.* Et cum is à Pontifice ad coronam Imperii suscipiendam invitaretur, sibi sufficere respondit, quod ex GRATIA DEI Rex Romanorum esset. Thom. Lansius *contra Italiam pag. 826.* Hujus dicti occasione, de ambiguitate in voce *Regis Romanorum* videri potest Georg. Horn. *in Orb. Imperant. can. 1. p. 23. in addition.*

ε. Qui in epistola ad Pontificem R. apud Goldastum (*tom.*1. *Const. Imper. p.*220.) respectu DIVINÆ CLEMENTIÆ Imperatorem se dicit Augustum.

ζ. In notabili sanctione illa, quam Albericus de Rosate *ad l. bene à Zenone. C. de quadr. præscript.* refert, & hæc verba offert: Declaramus, quod Imperialis dignitas & potestas est immediatè à *solo DEO*, &c. Integram hanc Constitutionem exhibet Theod. Reinking. *lib.*1. *de R. S. & E. class.* 2. *c.* 4. *n.* 3. *seqq. p.*102. Adde Fridr. Hortleder *de caus. Bell. Germ. Carol. V. lib.*1. *c.* 47. *n.* 36. *p.*658.

η. Aur. Bull. præfat. ibi: Das Christliche Käyserthum/ so von GOTT. Idem in litteris de An 1354. Norimbergæ, quibus confirmantur omnia Privilegia, tum à Friderico II. aliisque Impp. tum à sede Apostolica summisque Pontificibus concessa. Johan. Strauchius *exoter. diss.* 1. *pag.* 34.

θ. In der Reformation zu Franckfurt am Mayn An. 1442. aufgerichtet/ in pr. Sintemahl WIR VON GNADEN GOTTES / unverdienter Sachen / zu der Würde des Röm. Königl. Gewalts erhöhet und gesetzet seyn/ &c.

ι. R. A. Zu Wormbs de An. 1495. sub tit. reformation das heimliche Gericht zu Westphalen betreffende. pr. Ehrwürdige / ibi : Nachdem Wir VON DEN GNADEN GOTTES zu der Höhe Röm. Königl. Würde/ &c. unverdient / beruffen und gekommen seynd. Idem R. A. zu Cölln/ de An. 1512. sub tit. Ordnung zu Unterrichtung der offenen Notarien. in pr. ibi: Als Wir aus GÖTTLICHER SCHICKUNG/ unverdient/ zu der Höhe Röm. Käyser. Würde/ &c.

κ. In R. A. de An. 1548. in pr. ibi: Haben Wir aus aufgelegten Ambt/ darzu Wir von dem Allmächtigen GOTT beruffen seyn/ &c.

λ. Cujus numisma tempore Coronationis Imperatoriæ cusum describit Joh. Leonh. Weidnerus *apophth. part.* 4. *p.*306.

μ. Quia in Titulis suis se Θεοστεφεῖς i. e. à DEO coronatos & χριστοὺς κυρίου i. e. Unctos DOMINI esse profitentur. Petr. de Andlo *de Imperio Rom. Germ. lib.* 1. *c.* 1. *in not. p.*120. De quo videri potest Die Copey des Credentz-Schreibens / welches dem Ebrahimi Strotschen Abgesandten an den Röm. Käyser Ferdinandum I. vom Solymanno mitgegeben worden. A. C. 1562. Copia illa adjecta est A. G. Busbequii Türckischen Send-Schreiben *p.*789. *edition. Norimbergensis.*

XXXVI.

Suggerunt se hic duo non contemnenda Dubia.

1. quæ

Digitized by Google

i. quæritur, an non Imperator Rom. α. ſcribere debeat: *NOS Dei* & *Electorum gratiâ?* rectius autem hoc Negatur β.

α. Aut etiam alii Electitiorum imperiorum moderatores.

β. Negativæ deciſionis rationes ſunt: quia Imperator, quà Electus gratiæ Electorum hoc attribuere nequit; cum illi nullum Gratia, aut alio Affecto, ad gubernacula Imperii promovere poſſint; ſed cogantur juratò promittere, Gratiam omnem ab illo electionis actu abfuturam eſſe. Aur. Bull. *c.* 2. Joh. Limn. *lib.* 4. *I.P. c.* 6. *n.* 31. Theod. Reinking. lib. 1. claſſ. 5. cap. 9. de R. S. & E. n. 26. 27. pag. 658. 2. Quia *Poteſtatem* ipſam Imperator à Deo obtinet (ſecundum verba clariſſima der Churfürſtl. Ordnung apud Goldaſtum *tom.* 2. der Reichs-Satzungen/ *p.* 35. Der Käyser hat seine Gewalt ohne alle Mittel von GOTT) licet per *Modum* electionis ad illam perveniat: veluti Pontifex à Cardinalibus quidem *Eligitur*, *Poteſtatem* tamen ſuam ex unanimi Pontificiorum ſententia immediate DEO acceptam refert. Sic Matthiæ Apoſtoli vocatio procul dubio immediate erat à *Deo*, *Sors* tamen interveniebat, perinde ut in electione Saulis. Joach. Cluten *in Sylloge rer. quotid. th.* 4. *litt. E. p.* 15. Mentem noſtram approbat quoque prædicatum illud communiſſimum: Von GOttes Gnaden erwehlter Römischer Käyser! Si enim Imperator poteſtatem ſuam Electoribus acceptam ferret, procul dubio illud aliquando ita temperaſſet: Von Gottes und der Churfürsten Gnade. Quemadmodum Brechtholdus de Zetingen fecit. Vide quæ ſupra ad th. 15. annotavimus. Nec turbant me oſtenſionalia numiſmata Rudolphi II. Imp. cuſa & diſtributa tempore Coronationis, ſic autem deſcripta à Joh. Leonh. Weidnero *in apophth. part.* 4. *p.* 306. *m.* auf einer Seite war des Käysers (Rudolphi II.) Nahme/und in der Mitte: XXVII. Octobr. Coron. 1. Novemb. MDLXXV. Ratisb. auf der andern Seiten eine Tafel/auf welcher Sieben Scheiben lagen / bedeutend die VII. Churfürsten / darum aufm Rand geschrieben: Conſentientibus Votis. Adde Jac. Typotii *Symbola Impp. Hierograph.* 34. *p.* 157. Quia exinde non evincitur, quod Rudolphus II. glorioſiſſ. recordationis Imperator, eo ipſo phraſin illam NOS DEI GRATIA, mentione *Electorum* ſuorum locupletaverit. Contrarium potius oſtenditur apud Jac. Alemannum *in Pa-*

lastra Consultationum Iuris consult. 8. de Iur. Moneta p.m. 478. 570. Adde, si lubet, ejus Capitulationem de dato Regenspurg/ *die 1. Nov. An. 1575.*

XXXVII.

2. Quæritur, an non Principes Imperii Romani scribere teneantur: NOS *DEI* & *Imperatoris* gratia? Nec hi tenentur*.

* Dixi, eos *non Teneri*: ut tanto rectius distinguerem inter casus *Obligationis* & *Arbitrii*. Ratio cur Non teneantur est 1. quia nulla *Lex* aut *Consuetudo* hoc hactenus injunxit. 2. quia à regulis *Æqui Boniq;* non abhorret, Dei gratiam tantum, Imperiali involuta silentio, suæ potestati præscribere. Comptimis cum & 3. ipse Imperator DEI gratia, quicquid agit, agat. Adde quod alias quoque aquam ex *Fonte* nos habere affirmemus, etiamsi per *Canales*, tubulos, aut quosvis alios artificiosos meatus ad nos derivetur. 4. Nonne ipse Christus ad Pilatum, qui potestatem vitæ & necis sibi in eum competere affirmabat, nulla *Cæsaris* injecta mentione, *Desuper* hanc ei datam respondet? Joh. XIX. 11. 5. quia Principes imperii non possunt amplius ut mera πλάσματα Imperatoris considerari; sed sunt Ἀρχοντες und Mitglieder des Heiligen Römischen Reichs/ secundum ea, quæ tradit Rein. Bachov. *vol. 1. ad Treutl. disp. 3. th. 6. litt. E.* Nic. Myler. *in Archologia ordinum imperialium c. 23. §. 5. p. 225.* Idem de Statib. imperii *part. 1. c. 8. §. 10. p. 57.*

XXXIIX.

Sequitur tertium & ultimum vocabulum *GRATIA*, quod α. quandoque (& dum Odio β. opponitur) significat *Favorem* & *Benevolentiam* γ: quandoque etiam *Beneficium*, quod gratis datur.

α. Ut Alias significationes *Lexicographis* eruendas & allegandas relinquamus.

β. Matth. Martini *Lexic. sub Gratia n. 3.* Eodem sensu accipitur in *L. 7. §. 8. ff. de Minoribus L. 3. C. de jure Fisci.*

γ. Uti apud Tacitum *lib. 6. Ann. c. 26. §. 5.* dicitur: ut Odium & Gratia desie-

desiére, jus valuit. V. Joh. Calvini *Lexic. sub Gratia p. 403. b.* Item Joh. Micrælii *Lexic. Philosoph. litt. G. p. 549.* ubi convenienter ait: aliquando *Gratia* significat *Donum dei.* 2.Cor. I, 12.

XXXIX.

Utraque significatio hac vice recipi potest α.: quia Varietatem β. potiùs quàm præfractam Contrarietatem inducit, uti ex sequentibus γ. clariùs patebit.

α. Sic etiam Utramque recipit & conjungit J. Chr. Becmannus *in notia Dignitatum dissert. 1. c. 3. th. 6.*

β. Sic etiam Philipp. Horstius *in Epistolographia lib. 1. sect. 1. c. 3. p. 23.* ait: observari potest scribendi loquendique *Varietas:* Dei *Gratia*, Dei *Dono*, Dei *Munere*, Dei *Beneficio*, Dei *Benignitate*, vel, quæ Dei est *Benignitas.*

γ. Comprimis autem *ex c. 2.* quod circa Synonyma occupatum erit.

XL.

Dummodò meminerimus, *GRATIAM* talem hoc loco innui, quæ non sit *Communis & promiscua*, sed *Singularis* & cum prærogativâ *.

* Utuntur quidem Christiani Principes titulo isto DEI GRATIA non alio sensu, quàm quo Omnes sublunares cum Apostolo, 1.Cor. XV. 10. dicere possunt, DEI GRATIA *sumus, quod sumus.* Sunt *Homines* Dei gratia, sunt *Principes* Dei gratia, sunt *Christiani* Dei gratia, & quicquid habent, gratia DEI habent. Interim tamen ex *Singulari quadam prærogativa*, titulo DEI GRATIA merito & singulariter præ aliis utuntur *Imperatores & alii Magnates.* Sunt etenim *ex Dei gratia* non solum Homines, & non solum Christiani; sed & Imperatores vel Reges. Cum autem inter mille millia hominum ad talem eminentissimum statum vix unus evehatur, non aliter dici potest, quàm hoc ex *Singulari DEI gratia & provisione* fieri: ideoque quà Tales etiam ejusmodi epitheto, præ Aliis, qui sunt vulgatis sortis & conditionis, frui. I. I. Speidel. *Specul. Iurid. Polit. litt. G. n. 155. p. 519. a.*

CA-

CAPUT II.

Continens

Phrasium ÆQUIPOLLENTIUM Promptuarium.

THES. XLI.

Rubrica dissertationis nostræ ita designatur: *NOS DEI GRATIA**.

* Et ita loquitur *Fridericus*, Landgravius Thuringiæ (quem historici Fortem, den Freudigen cognominant, Nic. Reusnerus *in stemm. Witichind. f.35.*) in literis de An. 1303. 12. Cal. Sept. ad urbem Misnam ablegatis, de puero in Thuringia à Judæis occiso: NOS Fridericus, DEI GRATIA Misnensis & orientalis Marchio, &c. referente Georg. Fabricio *lib.2. Ann. Vrb. Misnæ f.47.*

XLII.

Verba illa non solùm *Latinè* α. sed etiam *Germanicè* β., imò & *Gallicè* γ., *Hispanicè* δ., ac *Anglicè* ε. concepta reperiuntur. Nec dubium est, quin *Græcè* quoque ζ. convenienter efferri possint.

α. Spectant eo tales voces:

(1.) DEI GRATIA. Quam phrasin usurpavit *Christianus IV.* Daniæ Rex in literis ad Legatum Gallicum, Claudium de Mesmes, de An. 1641. die 5. Decemb. in Castris Fulsburtteliæ. *VLadislaus* IV. Poloniæ Rex in requisitione de ablegandis Deputatis ad Colloquium Thorunii in Borussia ad diem 50. Octob. An. 1644. institutum. *V. Scripta facientia ad hoc Colloquium apud Georg. Calixtum in Iudicio de controversiis Theol. in fin.*

(2.) DEI & IMPERATORIS GRATIA. Quemadmodum facit Conradus de Zeringen, qui An. 1128. in initio chartæ suæ *Dei & Imperatoris gratia* dignitatem se accepisse est testatus. Guillim. Habspurg *de reb. Helvet. lib.2. c.15. p.284.* Pont. Heuter. *lib. 1. rer. Burgund. p.8.* Eo quoque tendit epistola, quam scripsit Rudolpho Imp. Otto-

Ottogarus III. *Dei & Illius Gratia*, Rex Bohœmiæ. Hieron. Megiſerus *in Ann. Carinthiæ lib 8. c. 37. p. 898.* Similis locutio eſt *DEI & Imperiali Gratia*, quam exemplo probatam dedit Ben. Carpzov. *diſp. Feud. 9. ad Tit. 24. & 26. A. B. qu. 4. p. 88.* V. etiam quæ ad th. capitis notata ſunt. Item : *DEI Gratia & Conſtantini Principis noſtri DEO cariſſimi*, vel: *gratia DEI & Imperatoris mandato.* Sunt verba Synodi Oecumenicæ, Niceæ inſtitutæ, Sozomen. *lib. 1. c. 16.* Act. Concil. Nicæni, *in 1. Vol. Concil.* Socrat. lib. 1. c. 5. citante Phil. Mornæo *in myſter. iniquitat. ſ. Hiſtor. Papat. p. 58.* Addendum erit, quod ab Henrici V. Imp. ætate, Epiſcopi, cùm in Comitiis per ſuffragia eligerentur, frequentius ſe *DEI & S. Apoſtolicæ ſedis Gratia* tales ſcripſerint, ut affirmat Joh. Aventin. *lib. 7. Ann. Bojor. p. 640.* Chriſtoph. Browver. *lib. 3. Antiquit. Fuldenſ. c. 9. p. 197.* Bruſch. in Chron. Mon. Germ. *f. 65.* Trithem. in Chron. *p. 244.* Jungantur *Archiepiſcopi* Gneſnenſis, Matthiæ Lubienski & Abrahami Woynæ, Epiſcopi Vilnenſis, ad diſſidentes in rebus Fidei, epiſtolæ, quæ legi poſſunt ap. Georg. Calixtum *in judicio de Controverſiis Theolog. in fin.*

(3.) EX GRATIA DEI. Ita exprimitur in Pacificatione Hiſpano-Gallica concluſa An. 1659. narrante Joh. Th. Sprengero *in Font. jur. publ. c. 30. p. 210.*

(4.) DIVINA GRATIA. Hujus meminit *Athalarici* Gothorum R. epiſtola ad Senat. Rom apud Caſſiodorum *lib. 8. epiſt. 15.*

(5.) DIVINA DISPONENTE GRATIA. *Conradus* II. Imp. in Præcepto Marquardo Abbati Fuldenſi tradito: In nomine Domini. *Chunradus Divina diſponente Gratia* Romanorum Rex, & Advocatus Pacificus. Chriſtoph. Browver. *in Antiqu. Fuld. lib. 3. c. 17. p 262.*

(6.) DIVINA ORDINANTE GRATIA. Ut perhibet Jac. Andr. Cruſius *in tr. Polit. Jur. Hiſt. lib. 4. c. 17. n. 11.* Spectat huc diploma Ludovici Lotharingiæ Regis, qui An 910. dat Mortarium villam Canonicis in Caprimonte (oppido olim Diœceſis Leodinenſis) degentibus, his formalibus: J. N. S. E. J. T. *Ludovicus divinâ ordinante Gratiâ* Rex apud M. Zuer. Boxhornium *in tr. de Leodinenſi Republ. p. m. 459.* add. Diploma 21. *ibidem p. 480.*

(7.) DIVINA PROPITIANTE GRATIA. teſte Joh. Jac. Chifletio *in Lotharingia maſcul. c. 2. p. 8.*

(8.) GRATIA CHRISTI. Bonifacius Moguntinus *in Epiſt. 92.* ad Pres-

byterum Fulredum (aut Fulradum) Pipini Consiliarium & Abbatem: *Bonifacius* Servus Servorum DEI, GRATIA CHRISTI Episcopus &c. Chr. Brovver. *in Antiqu. Fuldens. lib. 3. c. 10. p. 203.*

(9.) Nec omittendus est titulus *Achmetis* Turcarum Imp. exceptus ex tabulis amicitiæ, (quam cum Henrico IV. Galliarum Rege iniit.) Ann. 1604. 10. Maji, lingua Turcica scriptis, & primum in Gallicam, posteà in Latinam linguam translatis: Ego, qui INFINITA GRATIA JUSTI, MAGNI ET OMNIPOTENTIS CREATORIS, & abundantia miraculorum, Principis Prophetarum ejus, sum Imperator Victoriosorum Imperatorum &c. J. Limn. *lib. 4. I. P. c. 6. in Addit. p. 419.*

β. His verbis: (1.) Wir von GOttes Gnaden. Ita incipit Christianus III. Daniæ Rex apud Spathen in der Secretariat-Kunst *vol. 1. part. 2. c. 23. pag. 465.*

(2.) **Von der Gnade GOttes.** In diplomatibus Ducum Brunsuicensium de An. 1374. legitur: We Junckherrn/ Fredrich/ Bernd/ Henrick und Otto/ Bröder/ **von der Gnade Gottes** Hertogen tho Brunschwig und tho Lüneburg. Et de An. 1400. We Junckherr Bernd und Ehr Hinrich **von der Gnade Gottes** Hertogen tho Brunschwig und tho Lüneburg. Quæ citat ex actis Homogial. Civ. Brunsuic. T. 1. *Springsfeld. d. Apanag. c. 3. n. 19. seqq.*

(3.) **Wir von Gottes Gnaden unverdienter Sachen.** Vide in tomo Recessum Imperii Reformation Käyser Friderichs III. zu Franckfurt am Meyn / An. 1482. aufgericht.

(4.) **Wir von Gottes Gnaden / und nicht von deß allerheiligsten Vaters deß Pabsts Gnaden.** V. Carolus vom Hagen *instit. I. P. lib. 1. c. 1. p. 14.* Joachim. Cluten. *sylloge rerum quotid. th. 4. litt. E. p. 15.*

(5.) **Von Gottes Gnaden Wir.** quod in Privilegiis, Edictis, Constitutionibus, Decisionibus *Electorum Saxoniæ* solenne & ordinarium est. Vid. Corpus juris Saxonici passim. Confer infra part. 2. c. 2.

(6.) **Durch Gottes Gnade.** Quadrat huc elegans historia, quam exhibet G. P. Harsdörffer. *part. 2.* **deß Teutsch.** *Secretar. praf.* **von den Ehrentituln.** *n. 15.* his verbis vernaculis: Als im Jahr 1559. die Liefflánder ihre Gesandten an den K. Gustavum in Schweden schickten / und er auf dem Credentz-Schreiben den Titul **Erleuchtigst** gelesen; hat Er zu den Gesandten gesagt; Quid significat **Erleuchten** illuminare? Es ist

durch

durch Gottes Gnade der Schwedische König nicht so dunckel/ daß Er der Liefflånder Erleuchtung vonnöthen håtte. Politioro præfatione nitebant literæ Regis Persiæ A. C. 1639. ad *Fridericum* Ducem Holsatiæ missæ: Dem Großmächtigen und durch Gottes Gnade sehr Reichen/ Sanfftmůthigen/ Gnådigen und Allerchristlichen Fürsten/ Fürnehmsten/ Gütigen/und derselben Lande Höchstem/ der dem König Tschimschid (dessen Haupt wie die Sonne glåntzet) gleich ist / in Holstein regierendem Herrn. V. Theatrum Europæum *ad An.* 1639. *&* ex eo Burgold. *p.* I. *notit. Imperii disc.* 10. *n.* 18.

(7.) **Wir von sondern Gnaden des Allmåchtigen GOttes / unsers Schöpfers.** Faciunt huc verba Eberhardi VI. Barbati, Ducis Würtenbergici, in Privilegiis & immunitatibus, quibus Academiam Tubingensem donavit An. 1477. quæ extant apud Christoph. Besold. *Dissert. de jure Academiarum p.* 180. **Wir Eberhard Grave** (demum enim A. C. 1495. in comitiis Wormatiensibus à Maximiliano I. ex *Comite Dux* Würtenbergicus factus fuit G. Horn. orbis polit. *part.* 2. *p.* 228.) zu Würtemberg und zu Mümpelgardt &c. **Dieweil Wir von sondern Gnaden deß Allmåchtigen Gottes/ unsers Schöpfers** / von Geburth/ und sonst zeitlicher Mächtigkeit Lands und Leut/ die zu regieren und zu versehen/hochgebohren begabt seynd/ &c.

1. à Galliæ Regis titulo non abhorrent hæc verba PAR LA GRACE DE DIEU. Loyseau des Ordres ch. 7. n. 40. Barth. Chassanæus *ad Consuetud. Burgund. in proœm. ad verba, par la Grace de Dieu.* Ut ut aliás Gallicum illum titulum ratio Politica laconissantem & neutiquam prolixum esse velit. Chr. Besold. *Dissert. de Pracedentia c.* 2. *§.* 6. *in fin.* Nota est (& relata à Mich. Piccarto *decad.* 4. *c.* 10. *fin. p.* 228.) historia de Francisco I. Galliæ Rege: ad quem cum tempore controversiarum, Carolus V. Imp. pro ratione majestatis suæ scripsisset, titulique Imperiales atque Provinciarum, & Dominiorum inclytæ Austriacæ domus magnum chartæ spatium implevissent; mordax Gallus, in responso tantundem spatii insumpsit, repetitione Galliæ, hoc modo: Franciscus I. Rex Galliæ, Galliæ, Galliæ, &c. addito: unum suum Galliæ Regnum sufficere, omnibus Imperii provinciis domandis.

2. Sic Hispaniæ Regis titulus etiam horum verborum emblemata admittit: POR LA GRACIA DE DIOS. Videatur Edictum Philippi III. contra Baronii tract. de Monarchia Siciliæ. Tr. Induc. Belg. apud Mettetan. *L.* 28. *&c.* Rebuff. *tom.* 2. *constit. reg. tr. uti benefic. ante vocat.*

art.

art.2. gloss.1. Joh. Th. Sprenger. *in Font. jur. publ. c.20. p.210.* Th. Lansius *Consultat. pro Hispania p. m. 557.*

ε. Regum M. Britanniæ titulus patet ex Joh. Chr. Becmanno (*in notit. dignitat. diss.1. c.3. th.6.*) quem huc scribere libuit : Charles *by the Grace of God,* King of England, Scotland, France and Ireland, Defendour of the Faith.

ζ. Si scilicet quis verbis Tharsensis Apostoli, *1. Cor. XV, 10.* diceret χάριτι Θεῦ εἰμὶ, ὅ εἰμὶ, *Gratia Dei* sum, id quod sum, Mart. Lutherus vertit: **Von Gottes Gnaden bin ich/ das ich bin.**

XLIII.

Uti autem in adductis locutionibus provocatum est unicè ad Dei aut Divinam *Gratiam :* ita alibi provocatur ad *Alias quoque dotes, characteres & actus.* Nimirùm ad *DEI Beneficium* α. ad *Ejusdem Benignitatem* β., ad *Consensum* γ., ad *Dispositionem* δ., ad *Favorem* ε. ad *Indulgentiam* ζ., ad *Ministerium* η., ad *Miserationem* θ., ad *Munus* ι., ad *Nomen* κ., ad *Nutum* λ., ad *Ordinationem* μ., ad *Patientiam* ν., ad *Permissionem* ξ. & *Prælectionem* ο.

α. *Divini Beneficii* meminit Fridericus I. Imp. in rescripto aliquo ad Episcopos Germaniæ An. 1158. apud Goldast. *tom. un. p. 265.*

β. Titulus, quo Attila usus fuisse vulgò (nam quidam Vetustatis indagatores pro Supposititio titulo habent. Vid. Georg. Horn. *orb. Imper. p. 135, in not. Ioach. Felleri.* Add. etiam Mart. Crusius *lib. 7. An. Suev. part. 1. c. 10. p. 185.* ubi titulum in quibusdam mutatum recenset. Item Nic. Olaus, Archiepiscopus Strigon. *vit. Attilæ c. 9. & 15.* Priscus Rhetor, seu Thrax, veluti à Joh. Melele nuncupatur, *in tom. 1. Hist. Bizant. excerp. de Legationibus p 33. seqq.*) existimatur, hæc verba ostentavit: Attila, Mundizici Filius, & Magni Nimrodi nepos, nutritus in Engadi, *Divina benignitate* Rex Hunnorum, Medorum, Gothorum & Danorum, metus Orbis, Deique flagellum, Vid. Jo. Sambuc. *in chronolog. Hungar.* Anton. Bonfin. *rer. Hungar. lib. 3. decad. 1.*

γ. Apud C. Corn. Tacitum Galba fatetur, se *Deorum hominumque consensu* ad Imperium vocatum fuisse. *Lib. 1. Histor. c. 15.*

δ. Al-

ɜ. Alphonsus *Dei Dispositione* Hispaniæ Imperatorem se prædicavit, ut patet ex ejusdem literis, quas exhibet Joh. Jac. Chifletius *in Vindiciis Hisp. c. 11. p. 103.* Fridericus II. Imp. usus fuit, apud Regem Angliæ & alios Reges, verbis: *Disponente Domino.* J. H. Boeclerus *in dissertat. de Sacro Rom. Imperio, quæ extat in notit. S. R. Imper. in fine p. 238.*

ε. Phrasis DEO *Favente* Edictorum & Epistolarum principiis adposita passim reperitur. Joh. Helff. Clotz *in dissert. de Tit. honorif. c. 3. § 21. p. 31.*

ζ. *Divina indulgentia.* Hujus formulæ exempla nobis suppeditant Acta, Lindaviens. *f.* 385. *&* 551. item Phil. Simonis von den Bischoffen zu Speyer/ *passim.*

η. Titus Vespasianus dicitur apud C. Corn. Tacitum *Divino Ministerio* electus Princeps. *Lib. 4. hist. c. 81.*

θ. *Miseratione DEI.* Spectat hoc ad Pachomii Archiepiscopi Constantinopoleos, novæ Romæ & Oecumenici Patriarchæ titulum, qui extat in Historiâ Malaxi apud Crusium *in Ann. Turco Græc. Pag. 149.* Galli dicunt: *Par la Miseration divine.* ita Loyseau de Seigneuries *th. 3. n. 67.* ubi narrat, quod Episcopi & Abbates Galliæ adhuc hodiè utantur prædicato, *Par la Miseration divine*, eoque innuant, se beneficia sua accepta referre soli DEO, non secularibus Principibus. Addit tamen insimul: Hoc posteriori tempore, ubi provisio beneficiorum attributa est Consistorio Romano, titulis adjiciunt, *Par la Miseration divine & du S. Siege Apostolique*, h. e. *Per miserationem divinam & sanctæ sedis Apostolicæ.* Ita Archiepiscopus Parisiensis, Johannes Franciscus de Gondy in licentia imprimendi librum, cujus titulus *Gallia Christiana*, annotante J. Limnæo *in notit. Regn. Franc. lib. 2. c. 6. lit. iii.* Exstitit hic primus Archiepiscopus Parisiensis, postquam An. 1622. 13. Octobr. *Episcopatus* Parisiensis in *Archiepiscopatum* auctoritate Pontificis Gregorii XV. ad preces Ludovici XIII. Regis, conversus fuit. J. Tournet en la notice de Dioeeses de l'Englise universelle p. 121.

ι. Huc pertinet Edictum Ludovici IV. Imp. ad ordines Imperii, cujus verba ab initio posita, subjicio: Imperator Ludovicus IV. *Divino* duntaxat *Munere* Cæsar Augustus, universis Christianis salutem &c. ut refert Phil. Mornæus *in myster. Iniquit. s. Histor. Papatus, p. 1037.*

κ. *DEI Nomine: In DEI nomine.* Memorabilis est titulus, quem suo Testamento præposuit Episcopus Argentinensis Heddo, hisce formalibus; Ego *DEI nomine* Eddo, peccator, per Misericordiam DEI vocatus Episcopus, hoc testamentum à me factum, relegi. Auctor est Francisc. Guillem. *de Episcop. Argentinens. in Eddone f. m. 112.* Posterioris exemplum exhibet exordium Actorum Concilii Agathensis de An. 512. testibus Phil. Mornæo *in myster. iniqu. p. 180.* & Christ. Brovver. *lib. 3. Antiqu. Fuld. c. 16. p. 256.*

λ. *Nutu DEI.* Titulum esse Caroli M. *initio Capitularis* de non adorandis imaginibus, attestatur J. C. Becmannus *in notit. Dignit. dissert. 1. c. 3. th. 6. p. m. 26. idem c. 4 §. 7. p. 36.*

μ. *Piâ DEI Ordinatione.* Vid. Just. Reuberus *in Hist. Impp. fol. 196. edit. Francofurt ad Mœnum An.* 1584.

ν. Ludovicus Comes Lossensis se *Patientia DEI* scripsit Comitem, ut patet ex J. J. Chifletii *Vindic. Hisp. c. 5. p. 39.* J. Th. Sprenger. *Font. I. P. c. 20. p. 224.*

ξ. *Divina Permissione.* Gallicè: par la Permission divine. De quibus Acta Lindaviens. *f.* 385. *&* 551. Mercurius Francicus *tom. 2. p. 313.* Quò etiam Abbatis Monasterii à Bleüren verba (ab initio in constitutione Academiæ Tubing. de An. 1476. posita) referenda sunt, prout extant apud Christ. Besold. *diss. de Iur. Maj. Sect. 3. c. 8. th. 3. p. m.* 186. Henricus *Permissione Divinâ* Abbas Monasterii in Blaubeüren, Ordinis Sanct. Benedicti, &c.

ο. In Privilegio quodam Bernwardi XIII. Hildesheimensis Ecclesiæ Episcopi hæc leguntur verba: Hæc Ego BernWardus considerans, *DEI praelectione*, non Meritis, dictus Episcopus, &c.

XLIV.

Eodem modo *ad Clementiam divinam* provocatum fuisse animadvertimus *.

* Exemplorum talium Decadem adducere possum. (1.) *Divina Clementia:* Otto I. in epistola ad Pontificem R. apud Goldastum *tom. 1. Const. Imper. pag. 220.* respectu *Divina Clementia* Imperatorem se dicit Augustum.

(2.) *Divina favente Clementia:* Diploma quo Otto II. Imp. An. 981.

pos-

possessiones Ecclesiæ Leodiensis confirmat, ita incipit: I. N. S. E. I. T. Otto *Divina favente Clementia* Imp. Aug. M. Zuer. Boxhornius *in tr. de Leodiensi Republ. p.m. 483. diploma in ordine 22.* Addi posset LEOPOLDI, moderni Imp. Privilegium A. 1663. Kal. Sept. Bibliopolis Batavis datum super nova editione Corporis Juris Civilis in fol.

(3.) *Divina favente Gratia Clementia :* Henricus Sanctus Imp. in diplomate, quo tradit donatque Ecclesiæ Fuldensi Comitatum in Stoddenstat, sic ait: I. N. S. E. I. T. Heinricus, *divina favente Gratia Clementia*, Romanorum Imp. Aug. Christ. Brovver. *lib. 3. Antiqu. Fuldens. c. 15. p. 252.*

(4.) *Divina Clementia favente & ordinante:* Conradus Salicus I. Germaniæ Rex, in Diplomate, quo Fuldensem Ecclesiam regia liberalitate mactavit: Cunradus *Divina Clementia favente & Ordinante* Romanorum, Francorum Rex. Idem Brovver. *ibid. lib. 2. c. 7. p. 128.*

(5.) *Divina ordinante Clementia :* Talis locutionis auctorem citare possum Dagobertum Francorum Regem, qui A. 639. S. Amando, Trajectensi ad Mosam Episcopo, fundum, ad ædificandum Monasterium, quod hodie S. Amandi dicitur, donavit: I. N. D. N. I. C. Dagobertus *divina ordinante Clementia* Rex. M. Zuer. Boxhorn. *in tr. de Leod. Republ. p. 437.*

(6.) *Divinâ Praordinante Clementia :* Verba sunt Friderici I. Imp. in mandato de An. 1159. quoniam *divinâ praordinante Clementia* Regni Imperii gubernacula suscepimus, &c. Goldast. *tom. un. p. 272.*

(7.) *Divina Propitiante Clementia :* Robertus Rex Galliæ, in charta de An. C. 1015. apud Loysel *és memoires de pays de Beauvais ch. 8. p. 248.* scribit: quoniam *Divina propitiante Clementia*, nos Gallica liberalitas ad regni provexit fastigia. Add. M. Z. Boxhorn. *in tr. de Leodiens. Republ. p. 463.*

(8.) *Altitonantis* DEI *largiflua Clementia.* Edgarus, priscus Anglorum Rex, epistola ad Episcopum Wigorniensem apud Edw. Cocke *Institutes of Lavvs. p. 4. Praef.* ita ait: *Altitonantis* DEI *largiflua Clementia*, qui est Rex Regum, Ego Edgarus Anglorum Basileus.

(9.) *Divina Providente Clementia:* vid. J. Helffr. Clotz. *dissert. de Tit. Honorif. c. 5. §. 3. Pag. 41.*

(10.) *Por la divina Clemencia:* Hoc titulo Carolus V. Imp., quando

non-

nunquam Hiſpanica lingua conſcriptis literis interpellabat Pontificem, uſus fuiſſe legitur. J. Limn. *lib. 4. I. P. c. 6. n.* 11.

XLV.

Sic etiam dantur titulorum varia exempla, * in quibus *Miſericordia divina* prædicatur.

* Triplicia exempla produxiſſe juvabit. (1.) *Miſericordia* DEI: Michaël ἐλέῳ Θεοῦ Πατριάρχης τῆς μεγάλης Θεοῦ πόλεως Ἀντιοχείας καὶ πάσης Ἀνατολῆς: *Miſericordia* DEI Patriarcha magnæ Theopoleos, Antiochiæ totiusque Orientis. Ex literis ipſius Patriarchæ ad Patr. Conſtantinop. apud Cruſium *in Ann. Turco Græc. lib. 4. Pag. 294.*

(2.) *Divina largiente Miſericordia*: ita Carolus Simplex, Francorum Rex, in reſtitutione Traject. S. Servatii Abbatiæ. Confer M. Zuer. Boxhorn. *tr. de Leodienſ. Republ. P. 466.*

(3.) *Per Miſericordiam* DEI: *Ex* DEI *Miſericordia*: Germanicè: Aus Gottes Erbarmung: Aus Gottes Erbarmnüß / oder Aus Göttlicher Erbarmung. Videatur omninò de his Franciſ. Guilleman. *de Epiſc. Argent. in Eddon. f. m.* 112. Goldaſtus *tom.* 1. *Conſt. Imperial. fol.* 259. ad *C. A.* 1126. Chriſtoph Gewold. *Comment. de Electoratu p.* 722. Nic. Myler ab Ehrenbach *Tr. de Princ. & Statib. Imp. R. Part.* 1. *c.* 30. *p.* 294. *ſeqq.* ubi, quæ mihi dicta ſunt, luculentis ſcriptorum teſtimoniis & exemplis aliquam multis adſtruunt.

XLVI.

Quibus tandem etiam illæ locutiones titulares annumerandæ ſunt, quæ *Providentiam divinam* fatentur & laudant. *

* Huc faciunt hæc excerpta: (1.) *Divina Providentia*: exemplum habetur apud J. Limn. *lib. 4. I. P. c. 6. n.* 12. Confer etiam Goldaſt. *tom. un. p.* 272. Item M. Z. Boxhorn. *tr. de Leodienſ. Republ. p.* 468. ubi Otto Imp. An. 944. Faraberto Leodicenſi Epiſcopo dat Monaſterium Eiche, quod nunc eſt Canonicorum Collegium, in ditionis Leodicenſis oppido Maſcida, Initialia diplomatis ita ſonant: I. N. S. E. I. T. Otto, *divina Providentia* Rex, &c.

(2.) Hoc titulo etiam gaudent hodienum Archiepiſcopi in Anglia: Gil-

Digitized by Google

Gilbert *by the Providence of God* Archbiscop of Canterburg. Tenorem talem refert J. C. Becmannus *in notit. Dignit. diss. 1. c. 3. th. 6.*

(3.) *Divina Ordinante Providentia* : Hanc formulam usurpavit Ludovicus Pius in donatione Monasterii Fuldens. Christ. Brovver. *lib. 2. Antiqu. Fuld. c. 7. p. 157.* Idem Ludovicus Imp. Const. de Reformatione Abusuum Cler. HLudovicus *Divina Ordinante Providentia, &c.*

(4.) *Deorum Providentia.* De hoc exempla suppeditabunt Matth. Wesenbec. *ad princ. Proœm. Inst. n. 3.* Bullæus *in disc. Acad. 5. de Majest. Imp. fol. 344.* J. Bodinus *l. 1. de Republ. c. ult. n 177.*

(5.) Hinc formulæ Germanicæ ; Aus Gottes Verhängniß : Von Gottes Verhängniß. De quibus consulendus Dietherrus *in addition. ad Besoldi thesaur. pract. litt. G. n. 74. p. 329. b.* Inprimis Abbates & alii Ecclesiæ Prælati ita se constitutos prædicarunt, docente I. I. Speidel. *in specul. Iur. Litt. G. n. 155. p. 519. b.*

(6.) **Durch Vorsicht Gottes des HErrn.** Id occurrit in titulo pomposo Sultani Murathi , quem Spathe in der Secretar: Kunst *vol. 1. part. 2. c. 21. p. 413.* ex I. I. Breünings Orientalischer Reise / erster Meerfahrt / *fol. 100.* consignavit sequentibus : Sultan Murath / Sohn des Sultans Selims, Herr zu Constantinopel / d. i. Neu Rom / König in Africa und Trapezunt / Ponto und Bende / Cappadozia / ꝛc. König über die gantze Welt / oder / über alles / so unter dem Himmel zu finden / **durch Vorsicht Gottes des HErrn** / zu Vernichtung und Untergang der allgemeinen Christenheit bestimmet / und verordnet / Herr und König über alle / so mein Reich anfechten und beleidigen.

(7.) Circa A. C. 1050. Fridericus ab Hohenstauffen / Dux Sueviæ hereditario jure ab Henrico IV. Imp. creatus hoc usus titulo legitur : Friderich **von Verhängniß Göttlicher Mildigkeit** / Hertzog zu Schwaben und Francken / &c. Mart. Crusius *part. 2. lib. 7. c. 1. Ann. Suev.* Notandum hoc loco, quod adducta phrasis in Effectu cum prioribus conveniat, aut non multum abludat. Nam in antiquis Instrumentis & renunciationum formulis videmus conjungi Wille und Verhängnüß / Gunst und Verhängnüß / Wissen und Verhängnüß. Teutsche Rhetorick Joh. Cæsaris *p. 153.* Item acta in Sachen Würtzberg Brandenburg *p. 28. & 55.* Plura J. Limn. *lib. 4. I. P. c. 6. n. 45.* ibi : ohne deß

Digitized by Google

Ertzbischoffs und seiner Nachkommen / Willen und Verhängnüß / &c. Idem *tom.1. Addit. ad lib. 7. c.48. p.349.*

XLVII.

Exemplorum hactenus α. exhibita series evincit 1. quàm *variis Linguis* illud *NOS DEI GRATIA* innotuerit β.; & 2. quàm facilè *Additamentum aliquod* γ. admittat; restat ut 3. illud etiam annotetur, parum referre, utrum *Divina* an *DEI Gratia* δ., Göttliche an Gottes Gnade ε. nominetur.

α. th. 42. 43. 44. 45. 46.

β. videatur th. 42. litt. α, β. γ. δ. ε. ζ.

γ. Vid. th. 42. litt. α. n. 2. pluribus autem infrà parte 2. c. 2. th.

δ. Permutatur quippe vocabulum *Dei* cum voce *Divini.* Sæpius quidem scribitur: *DEI* gratia. (Vid. Decreta, Diplomata & Privilegia, quæ in favorem Religionis Cathol. in Germania emanarunt ab An. 1620. usq; ad An. 1629. ex Cancellaria Imperii Aulica, nec non Cancellariis Regni Hungar. Bohem. ac Cameræ Aulicæ, *edit. Coloniæ Agrippinæ Ann. 1639. passim.*) Sæpe tamen etiam *Divina gratia* legitur. Ita *Divina ordinante gratia* in diplomate, quo Carolus M. Imp. Trutmannum virum illustrem Saxonibus ad Christi religionem perductis, Comitem adornavit (creavit) An. 788. quod ipsum legere est apud Henr. Meibomium *in vindic. Billinganis & in Not. ad VVitichindi M. Annales.* Sic Angelus Particiacius Venetiarum Dux, & Justinianus filius ejus, & collega concesserunt Abbati Sancti Servuli Capellam B. Ilarii, cum suis territoriis, his ipsis verbis: *NOS* Angelus, & Justinianus *per Divinam gratiam* Venetæ Provinciæ Duces unà cum Reverend. D. Fortunato Sanctæ Gradensis, &c. quod annotavit Donatus Jannotius *Florent. in Dialogo de Republ. Venetorum in not. p. m. 395.*

ε. In Germanicis enim titulis promiscuè dicitur Von Gottes Verhängnüß / & von Verhängnüß Göttlicher Mildigkeit. Evolvatur Car. Vom Hagen *Instit. I. P. lib. 3. c.1. pag. 374 sequ.* Joh. Tob. Geislerus *de Rat. Status c. 4. sub causa Efficiente §. 12. pag. 53 sequ.*

CA-

CAPUT III.

ORIGINIS investigationem instituens.

XLVIII.

Investigatio hæc duplici modo instituenda erit, *Breviori* & *Prolixiori* *.

* Ut postmodum partim de Origine *Verbi NOS*, partim de totius *Formulæ* NOS DEI GRATIA fontibus liquido constet.

XLXIII.

Quoad *Priorem* modum tenendum, verisimile esse, Principes ex eo tempore illud *NOS* (pro τῷ *EGO*) sibi adoptâsse, quo ab Adulatoribus aut Cultoribus compellati fuerunt voce (non *TU*, sed) *VOS* *.

* Postquam Pluralitate illa (i. e. TU in VOS transformato) condecorati fuissent Principes, usu venire cœpit (inquit J. Limn. *lib. 4. I.P.c.6. n.6.*) temporis tractu, ut & Ipsi quoque de se per modum NOS &c. loquerentur, scriberentque, ne fortè minus Sibi viderentur tribuere, quàm Alii tribuendum censebant, eamque quam ab Aliis venerabilem audiebant vocem, Ipsimet spernerent, & suo quasi exemplo abrogarent. Conferenda sunt cum hisce ea quæ dicta sunt *c.1. th.25.*

L.

Quod *Posteriorem* modum concernit, discernenda erit Origo, relata ad *Mores*, ab câ, quæ refertur ad certum *Tempus* *.

* Illa est disquisitionis *Ethicæ* aut *Politicæ*; Hujus autem cura ad *Historicos* pertinet.

LI.

Quamvis autem Originem formulæ *NOS DEI GRATIA* ad *MORES Pietatem* redolentes referre mallem α., tamen animadverto eam apertè ad *Blandimenta aulica* referri β, de qua tamen opinione anxius non laborabo γ.

 α. Quo

α. Quod factum est in cap. 1. th. Consentiente fortassis I. H. Clotz. (*diss. de Tit. honorif. c. 5. §. 3. p. 41.*) qui sic scribit: Archi-Episcopi more Paulli in chartis ab antiquariis collectis, *Dei gratiæ vel miserationi Divinæ* munus suum acceptum retulerunt. Idem c. 8. §. 3. p. 55. expresse vocat *Pietatis formulam*.

β. Comprimis à Theod. Hôpingo, qui *in tr. de jure Insignium (c. 22. §. 2. n. 33. fol. 1015.)* non sine censuræ acerbitate ait: Moderata fuit titulorum apud veteres ratio, donec Minoribus Majorum tributæ fuerunt appellationes, quæ effecerunt, ut novas adulationes honoratioribus decernerent. Videatur etiam Adam. Conzen. *lib. 7. Polit. c. 5. n. 1.* Jo. Jac. Dracon. *lib. 3. de Orig. & Iur. Patric. c. 2. in append. n. 13. & seqq.*

γ. Quid si enim Utraque opinio, sub Diversitate tamen respectus, reciperetur?

LII.

Cum plus laboris requirat α. illa disquisitio, quo *TEMPORE* orta sit formula *NOS DEI GRATIA*. Hic autem paululùm β. distinguendum est γ. inter *Verba DEI GRATIA*, & *Titulum NOS DEI GRATIA*.

α. Nam in hoc labore quosdam Vanos extitisse, ex th. 58. patebit.

β. Non enim Semper illam distinctionem attendemus, utpote quam aliàs nec Principes, nec Scriptores semper attenderunt.

γ. ne Confundantur vestigia antiquitatis venerandæ, quæ Distincta deprehendimus.

LIII.

Tituli *NOS DEI GRATIA* antiquius monumentum (hactenùs) non reperi α., quàm quod ad Ottonis II. Imp. tempora, indeque Seculum à C. N. Decimum spectat β.

α. neque etiam reperit multijugæ lectionis Vir Nic. Mylerus, *uti constat ex tr. de Princip. & Stat. Imperii c. 30. §. 2. p. 296.*

β. Nam A. C. DCCCCLXXVII. adeoque Ottone II. imperante Otho Dux Wasgoviæ, in fundationis diplomate monasterii S. Lamberti

Dice-

Diœcesis Spirensis scripsit: WJR Otto VON GOTTES GNADEN / Hertzog in Wasgaw. referente Phil. Simone *in der Historischen Beschreibung aller Bischoffen zu Speyer / sub Balderico I. Episcopo XXII. f. 30.*

LIV.

Si quis tamen illud exemplum *è Germania* & *Germanicum* esse contenderit, ei etiam offerri potest exemplum *ex Italiâ & Latinum:* quod quidem Quinque annis post, sed tamen adhuc Seculo X. consignatum est *.

* Illud exhibet Donatus Jannotius *Florentinus in Dialogis de Republ. Venetorum*, ex diplomate quodam his ipsis verbis: In Nomine Dei Salvatoris nostri JESU CHRISTI, An. ab incarnatione Ejusdem Redemptoris DCCCCLXXXII. M. Decemb. 20. &c. NOS Tribunus DEI GRATIA Venetiæ Dux, moti Tuis precibus, &c. *p. m. 467. in notis.*

LV.

Cætera enim exempla (hactenùs nobis obvia) ad censum Seculi XII. α. & XIII. β. pertinent.

α. & quidem A. C. 1142. cum Petrus Polanus Reipubl. Venetæ præsideret, in tabulario Patriarchali, (quemadmodum prædictus refert Donat. Jannotius *Florent. loc. cit. pag. 472.*) sequentia leguntur: I.N.D.E.S.N.I.C. An. MCXLII. M. Febr. Indictione VI. Rivoalti, &c. NOS Petrus Polanus, DEI GRATIA, Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ Dux, & Joannes Polanus, EADEM GRATIA, Castellanus Episcopus, &c. Item in medio hujus Decreti: NOS prænominatus Petr. Polanus DEI GRATIA, Venetiarum Dux, & Joannes Polanus, EADEM GRATIA Castellanus Episcopus, confirmavimus Clero & Populo Venetiarum, &c. Ad A. C. 1164. spectat Privilegium Vitalis Michaëlis D. V. quod offert nominatus auctor *loco superius allegato p. 469.* in hæc verba conscriptum: I. N. D. E. S. N. I. C. An. Domini. 1164. M. Jun. Indict. XII. Rivo-alti, &c. NOS Vitalis Michaël, DEI GRATIA, Venetiæ, Dalmatiæ atque Croatiæ

Dux, cum Judicibus & Sapientibus, atque populi Venetiarum collaudatione & confirmatione, &c.

β. Ad A. C. 1277. Joh. Jac. Draco *de Orig. & Iur. Patriciorum* hoc quoque singulariter notavit, quod cujusdam Comitis Gleichensis literæ tale privilegium habeant: NOS Albertus DEI GRATIA, Comes de Gleichen, &c. datæ sunt die Michaëlis, A. D. 1277. Pari modo & more, Eberhardus Comes de Würtenberg, An. 1271 in Instrumento concernente Monasterium Lorchense, hanc præfixit inscriptionem: Universis præsentium inspectoribus, tàm præsentibus, quam futuris, NOS, Eberhardus, DEI GRATIA Comes de Würtenberg, constare volumus, &c. Datum & actum An. D. 1291. Mariæ Magdalenæ, in Document. Würt. f. 734. apud Nic. Mylerum *de Statib. Imperii parte 1. c. 30. §. 4. p. 297.*

LVI.

Verba *DEI GRATIA* longe antiquius sunt Adjunctum α. titulorum: utpote quorum usus jam dum Seculo post C. N. Septimo, non Solum Episcopis β. sed etiam Imperatoribus γ. innotuit.

α. Ita loquitur J. H. Clotz. *diss. de Titulis Honorif. c. 3. §. 21.*

β. Refero id fide J. H. Clozii d. l. c. 5. §. 3. p. 42. scribentis: Theodoricus Rex Francorum seculo VII. in privilegio *Episcopum* Perminium GRATIA DEI Episcopum nominavit: & insuper *Lullus, Archi-Episcopus* Moguntinensis, regnante Carolo (intelligitur Carolus M. cujus bellis in Saxonia gestis *Lullum* interfuisse, & postquam sedisset annos 31. An. 787. obiisse refert Petr. Bertius in Comment. rer. Germanic. lib. 3. c. 6. sub Moguntiaco p. 615. a.) hanc phrasin (DEI GRATIA) in instrumento suo præmisit, apud Christoph. Brovver. *in Antiqu. Fuldens. lib. 3. c. 11. pag. 206.*

γ. Sic enim Joh. Chr. Becman. *in notit. Dignitat. illustr. diss.* 1. *c. 3. th. 6. p. 26.* titulus *Dei Cratiâ* etsi *Primo* omnium à *Carolo* M. usurpatus videtur. Refer. de metallifodinarum privilegio Comitibus Gleichensibus concesso: Carolus *divina favente Gratia* Romanorum & Francorum Rex. A. 787. Et in Capitulari ejusdem de non adorandis imaginibus: Karoli *Nutu Dei* Regis Francorum. Quem

secuti

secuti sunt *Hludovicus Pius* & *Lotharius*; ipsum (tamen) DEI GRATIA Primùm animadvertimus in rescr. *Caroli II.* (qui aliàs Calvus dicitur) ad Adrianum II. (qui A. D. 867. sedere cœpit: de potestate Regia &c. Carolus DEI GRATIA Rex & Spiritualis Filius Vester. Vid. Goldasti *Const. Imp. tom. 1.* Hæc Becmannus. Similem scriptionem observes apud Aimoinum Monach. *de gestis Francorum lib. 5. c. 34. p. 494. f.* ubi An. C. 877. jam dictus Carolus II. Imp. privilegium concedit Monasterio S. Germani & Vincentii, his verbis exorsus: I. N. S. E. I. T. Carolus *Dei Gratia* Rex &c.

LVII.

A quibus tandem etiam ad *Duces* α., item *Comites* β. & *Barones* γ. Germaniæ pervenit. δ.

α. Adducam hic (sed qui cum aliis Ducibus vix est comparandus vid. Georg. Horn. *Orb. Imp. p. 155. & in not. Ioach.* Felleri. Donatus Jannotius F*lorent. in dialog. de Republ. Venet. p 84. seqq. 381. seqq & 401 sequ.* Et ab Italis, ob impotentiam suam, *Dux victus & captivus* appellatur. M. Zuer. Boxhorn. *in not. ad Polit. lib. 1. c. 4. p. 44. m.*) *Ducem Venetum*, ad quem me duxit Hier. Megiserus in der Beschreibung von dem Hertzoge zu Venedig/ p. m. 359. his verbis: in den Archiven zu Arbe, einer Insul/ so der Venetianischen Republic unterthänig / findet man ein Privilegium. welches der Hertzog Vital Michael, ümb das Jahr Christi 1160. derselben Insul gegeben / das ist mit Bley gesiegelt/ stehen diese Worte im Bley: *VI. Michaël DEI Gratia Venet. Dalmatia atque Croatia Dux.* Hæc Megiserus.

β. E quibus primùm in lectione Annal. Trithemii offendi *Meginhardum*, qui anno Seculi undecimo quinto, in charta se *Dei Gratiâ* Comitem Sponheimensem scripsit. Idem fecit Comes *de Gleichen* apud J. J. Draconem *de orig. & Iur. Patr. lib. 32. p. 233.* sic in Instr. venditionis de An. 1288. legitur: Bürchardus *Dei Gratia* Comes de Hohenberg *Docum. rediv. Würtenb. Monast. p. 471.* Confer suprà th. 8. Addita dissertat. Huld. Eybenii *de regula illa: Tantum Principes, &c. c. 9. p. 455. m.* ex qua compertum habeo, Hodiè nonnullos morem à Majoribus acceptum retinere.

γ. Innitar hac vice verbis J. Helffr. Clotz *dissert de Titul. honorif. 8.* de Baronum titulis §. 3. p. 55. *Barones* more olim usitato se DEI GRA-

GRATIA Barones scripserunt. Huld. Eyben *diss. de Potestate Princip. imperii c. 9. p. 455. m.* adde antiquitat. Fuldens. Chr. Brovver. *lib. 2. c. 11. p. 150.* ex quibus docemur, quod, cum Ruothardus in suo Instrumento se GRATIA DEI *Procuratorem Fuldensem* scripsisset, istius moris etiam alii se participes fecerint, forte moti textu 1. Cor. XV, 10. Ita Rudolphus DEI GRATIA, *Nobilis* de Niffen An. 1293. scriptus invenitur. *Docum. Rediv. Würtenb. Monast. p.* 515. Adde Benjamin Leuber in Magdeburg. Stapel-unfueg/ &c. a. 1533. ubi alia documenta.

8. Adeò illud DEI GRATIA idem fatum experiri potuit, quod epitheta *Serenissimi* ac *Potentissimi*. Nam cum superioribus seculis (*inquit Huld. Eyben in diss. de potestate Principum imperii c. 9. p. 456.*) Cæsarum essent solorum propria, postea Principibus attribui cœperunt, hodiè etiam ferè secundi ordinis Proceribus.

LVIII.

His præmissis constat, quàm vani sint α. illi, qui originem Verborum *DEI GRATIA* non ad ulteriora quam Henrici V. Imp. & (qui cum illo σύγχρονος fuit) Henrici VIII. Bojorum Reguli β. tempora referunt. Cùm talia tempora sint Seculi post C. N. *Duodecimi* γ.

α. Agnovit hanc vanitatem quoque J. H. Clotz *in diss. de Tit. honorif. c. 5. §. 3 p. 41.* sic scribens: Tenetur aliquis opinione, illum morem (sc. munus suum Archiepiscopale DEI GRATIÆ acceptum ferendi) ab *Henrici V.* defluxisse ætate; verùm dubius hæreo, an in eam descendendum sit opinionem, &c. Fortassis opinionis erroneæ occasionem arripuerunt ex verbis Joh. Aventini *lib. 6. Ann. Bojor. (p. m 379. edition. Francofurt.* 1627.) ita sonantibus: Hunc *Henricum IIX.* Regulum Bojorum, primum omnium, privatis auspiciis, donationem fecisse, diploma dedisse, hoc suà imagine signâsse, id quod antea Imperatores, Reges & Cæsares duntaxat factitarunt, reperio. Initium, finem, exemplum ejus tabulæ subscribo: I. N. S. E. I. T. Hainricus *divina favente clementia* Dux Bavariorum, consensu Wulfhyldæ uxoris &c. Actum Ranneshofen A. C. MCXXV. præsente Ottone Palatino, Friderico de Regenesburc advocato, Hel-

præ-

Digitized by Google

perto de Geten, *Henricus DEI GRATIA* Dux Bavariæ, Data Ranneshofen in palatio. III. Kalendarum Augusti per manum Bernhardi notarii. *Hæc Aventinus.* Ex quo tamen circumspectus lector nunquam colliget, quod Quosdam collegisse indignamur.

ε. Ad hunc certè Th. Hôping. *in tr. de Insignib. c. 22. §. 2. n 35. p. 1015.* scribens: ex Germanis nostris *Henricum IIX. Bojorum Regulum*, primum omnium ita scripsisse, & magnificentia tituli (in quo hæc verba: DEI GRATIA, tumere dicit Carol. Paschalius *in legat: c. 4. p. 14.*) usum fuisse, perhibetur. Eadem sentit & loquitur Jac. Andreas Crusius *in tr. de Præcedentia lib. 1. c. 5. n. 16. p. 40.*

γ. nam *Henricus V. Imp.* imperare cœpit (secundum Seth. Calvisium) A. C. 1106. uti *Henricus VIII.* Niger cogn. Bojorum Regulus (secundum Joh. Micrælium in *syntagm. Histor. lib. 3. sect. 12. qu. 11. p. 1017.*) A. C. 1119.

LIX.

Nec approbanda α. est sententia illorum, qui *Distinctionis* fœdere litem composituri statuunt, *Ecclesiasticos* demùm post *Henrici V.* β. tempora, *Seculares* autem post ætatem *Friderici II. Imp.* γ. primum illud *DEI GRATIA* usurpâsse.

α. Neque etiam approbare illam sententiam potuit J. Th. Sprenger. *in Font. I. P. c. 20. p. 224.*

β. quem A. C. 1125. obiisse ex Setho Calvisio constat.

γ. qui post XXXVIII. annorum imperium obiit A. C. 1250.

LX.

Certè ea sententia vix conciliari poterit cum iis, quæ suprà α. probavimus, aut quæ notata sunt à Nic. Mylero β., hisce verbis: sanè *Ecclesiastici* Præsules longo tempore hoc titulo (*DEI GRATIA*) abstinuerunt; memores professionis suæ humilitatis. Nec sub γ. *Carolingorum* regimine ullum reperies *Episcopum* tali inscriptione usum fuisse.

α. th. 56. probatum dedimus, quod illud DEI GRATIA Citiùs tùm Ecclesiasticis tum Secularibus proceribus innotuerit, quam dictus Henricus V. aut Fridericus II. vixerint.

β. de Princippp. & Statib. Imperii *part. 1. c. 30. §. 5. p. 297.*

γ. hæc ultima verba Allegare simul volui; an verò etiam Approbare possim, dubito. Cur? ob exemplum Lulli, Archiepiscopi Moguntinensis sub *Carolo M.* supra th. 56. positum.

LXI.

Et hæc de iis qui τῷ *DEI GRATIA* Recentiorem originem tribuunt; sunt etiam qui justo *Antiquiorem* originem asserunt α. Conjecturam capientes ex quibusdam Justiniani I. (cujus Imperium incidit in Seculum à C. N. Sextum β.) textibus γ.

α. Inter eos est Hubert. Giphanius *in comment. ad Proœm. Inst.* cum eo paria facere videtur Mart Rümelin. *ad A. B. diss. 1. §. 4. p. 13.* ubi ad verba A. B. *(Carolus IV. Divina favente Clementia, &c.)* illustranda allegat *L. 1. pr. C. de V. I. E. Nov. 28. c. 4. §. 2. in fin.*

β. nam ex die 31. August. A. D. 527. solus imperare cœpit *Justinianus I.* Seth. Calvisius.

γ. Textus illi sunt (1.) L. 1. pr. ibi: *DEO auctore* nostrum gubernante imperium. C. de V. I. E. (2.) L. 1. pr. & L. 2. pr. ibi: *in nomine Domini nostri Iesu Christi.* C. de offic. Præf. Præt. Afric. item L. 3. pr. ibi: *in nomine Domini & Dei nostri Iesu Christi*, C. de V. I. E. (3.) Nov. 28. c. 4. §. 2. ibi: hanc *nos Gratiam Deo* referendam putavimus, qui imperii nobis Coronam imposuit.

LXII.

Sed respondendum est, in textibus Justinianeis partim *Nullam* α. fieri mentionem *GRATIÆ DEI*, partim *Aliquam* quidem fieri β., sed talem, ut verba illa (*DEI GRATIA*) designent simplex effatum *Pietatis* γ. non autem simul formulam *Titulaturæ* δ.

α. uti patet 1.) ex textu L. 1. pr. ibi: *Deo autore.* C. de V. J. E. 2.) ex

L. 1.

L. 1. pr. & L. 2. pr. C. de off. Præf. Præt. Afric, item: l. 3. pr. ibi: *in nomine Domini & Dei nostri Iesu Christi.* C. de V. J. E.

β. Quod utique fatendum est de textu allegato ex Nov. 28. c. 4. §. 2. ibi: hanc nos *Gratiam Deo* referendam putavimus, qui Imperii nobis Coronam imposuit, &c.

γ. Quin, ut apertius dicam, quod res est: verba illa non loquuntur *Gratiam* i. e. *Favorem*, quem Deus Justiniano exhibuit: sed GRATIAM i. e. *Gratam mentem*, quam Justinianus Deo exhibere cupit. Et hanc explicationem etiam I. C. Becmanno approbari posse confido. Sic enim ille *de notit. dignit. illustr. diss. 1. c. 3. th. 6.* differit: quæ citantur ex Nov. 28. c. 4. Hanc *nos Gratiam Deo* referendam putamus, qui imperii nobis coronam imposuit: Ταύτην πιςεύομεν ἡμεῖς τὴν χάριν προσήκειν καὶ ἀναθεῖναι Θεῷ, τῷ δὲ ἐπὶ τῇ βασιλείᾳ ςέφανον ἡμῖν ἐπιθέντι, huc non pertinent: Quod in Græcis disertè claret. GRATIA enim ibi non est *Favor*, *Beneficium*, sed, uti vulgò loquimur, *Gratitudo.* Atque dum Imperator se Afros libertate donaturum in se recipit, eopte suam erga Deum *gratam mentem* se declaraturum dicit.

δ. Utar hac voce barbarâ, sed dudum etiam à Jos. Th. Sprengero *in Font. I. P. c. 20. de Titulaturâ p. 208.* Th. Hôpingo *de insignib. c. 22. §. 2. n. 36. p. 1015.* adhibitâ. *intitulaturam* vocat Matth. Stephani *de iurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 7. n. 40.*

LXIII.

Si quis verò secundum Priorem sensum α. originem verborum *DEI GRATIA* indaget, ille ejus vestigia non demum tempore *Justiniani M.* β., sed jam dum tempore *Constantini M.* γ. exstitisse sciat.

α. ubi pro *simplici effato Pietatis* capitur τὸ GRATIA DEI.

β. qui totis 221. annis junior est Constantino M. nam *Constantini M.* imperium incipit (secundnm Seth. Calvisium) An. post C. N. 527.

γ. Synodus Oecumenica, mandato Imp. Constantini, Ecclesiis mittens epistolam, quæ extat apud Theodoretum *l. 1. c. 7.* ita incipit: DEI GRATIA & Constantini Principis nostri Deo charissimi congregati, &c. Item, Ecclesiis nominatim Ægypti: GRATIA DEI &

 Imp.

Imp. mandato. videatur Philip. Mornæi *Myster. Iniquitatis p. m. 58. cum alleg. Auctoribus.*

LXIV.

Ex quibus tandem illud conficitur, Justiniani Imp. Curiæ ignotam fuisse formulam Curiarum α. Nostratium *DEI GRATIA* β.

α. Sic quoque eam vocat Just. Reinh. Robbigius Lex: Crit. lib. 3. c. 9. p. 131.

β. Idem colligit & pronunciat J. C. Becmannus *in notit. dignit. illustr diss. 1. c. 3. th. 6.*

CAPUT IV.

INTENTIONUM Conjectationibus Inserviens.

THES. LXV.

Intentionibus sine dubio *Variis* α. innititur titulus *NOS DEI GRATIA.* Ne igitur Varietas ea Confusionem pariat β. Duplicem constituemus illarum intentionum & rationum classem, *Generalem* sc. & *Specialem.*

α. nam hic quoque verum deprehenditur illud Persii *Satyr. V. v. 52. & 53.*

- - - est rerum Discolor usus,
Velle suum Cuique est, nec voto vivitur Uno.

β. adeoque eveniat quod apud Ovidium *lib. 3. Metamorph. v. 341. & lib. 5. Fastor. v. 6.* dicitur:

quò ferar, ignoro, Copiaque ipsa Nocet!

LXVI.

Generales i. e. *Omnibus* aut *Plerisque* Principibus convenientes rationes respectum habent vel ad *Deum* vel ad *Alios**.

* Duplicem hunc respectum etiam *in decalogi utraque tabula* (cujus

Custos

Digitized by Google

Custos debet esse Princeps , Joh.Gerhard. *locor. theolog. Tom. VI. de Magistr. polit. c. 6. sect. 5. membr. 2.* §. *213. p. 324. b.)* fundatum esse puto.

LXVII.

Ad Deum relatus Princeps quàm varias habet causas, ut se *DEI GRATIA* esse scribat! 1. scit se *Hominem* α. esse, quid autem est Homo sine *DEO?* β.

α. *Scit* se hominem esse; si autem *Nescit*, imitetur aut exemplum Philippi Regis Macedonis, qui per nobilem Ephebum quovis mane ter sibi dici jussit: Philippe, *Homo es*! Hier. Drexelius *consid. 4. de Æternitate* §. *1. p. m. 96.* Aut attendat ad voces Triumphantibus apud Romanos acclamari solitas: *Homo, Homo*! Just. Lipsius *lib. 2. de Constant. c. 26.*

β. Non opus est *Christianos* allegare, utpote informatos S. Pauli *Act. XVII, 28.* verbis: *in DEO Vivimus & Movemur & Sumus.* Audiamus ex Ethnicis aliquem, nimirum Plinium *in panegyr. c. 1.* §. *1.* nihil ritè nihilque providenter *Homines* sine *DEORUM* immortalium ope, consilio, honore auspicantur.

LXIIX.

2. Scit se *Christianum* esse α. quid autem non debet Christianus *DEO?* β.

α. hinc *Christianis* Principibus comprimis titulus DEI GRATIA arrisit; ut vestigia ejus etiam in *Barbarorum* titulis deprehendantur. quâ de re inferiùs.

β. Sunt homines DEI GRATIA, sunt Principes DEI GRATIA, sunt *Christiani DEI GRATIA*, & quicquid habent, DEI habent GRATIA. ita I. Limnæus *ad capitulat. Rudolphi II. Imp. art. 31. n. 3. p. 120.* Plura ex Theologorum libris colligere supersedeo.

LXIX.

3. Qui *Princeps* salutatur, facilè scire potest α., *Officii sui potestatem* non aliundè esse, quàm à *Gratiâ DEI* β.

α. ex lumine Naturæ & Scripturæ. uti *supra th. 34.* demonstratum fuit.

β. *Gratiæ Dei* suam Dignitatem acceptam ferant principes Mediati &

 prin-

princeps Summus, inquit Th. Reinking. *R.S. & E. lib.1. class. 5. c. 6. n. 24. p. 601.* Quippe ipse DEUS est, qui ad exsequenda mandata sua & ut genus humanum pacatè & quietè viveret, Potestatem subordinavit, *à suâ Gratiâ pendentem.* Eleganter hac de re Spathe in der Secretariat-Kunst vol.1. part. 2. c. 23. p. 465: Es ist (inquit) das Wort **von Gottes Gnaden** eine sonderbahre **gute Erinnerung** bey Fürsten und Herren / daß sie alle ihre Gewalt / Macht und Ehre / GOtt / als dem König aller Könige und HErren aller Herren zuschreiben / und damit zu verstehen geben / daß Sie aus **Göttlicher Gnaden-Hand** solchen ihren **Stand empfangen** / und in dessen **Nahmen** auf **Erden führen.** Proinde etiam Baldus *in c. 1. quis dicatur Dux, Marchio, Comes*, ait: Omne Imperium à *DEO Permissivè, Formaliter & Effectivè* est. Conferatur Barth. Chassanæus *ad Consvetud. Ducat. Burgund. in proœm. ad verb. Par la grace de Dieu.* Perquam claré hoc patescit, si cogitamus, quod DEUS (1.) *Constituat imperia. Rom.* XIII, 1. *Esaiæ* XLV, 1.2. *Proverb.* IIX 15.16. ibi: *ejus Gratia* Reges regnant. *Dan.* II, 21. (2.) *Conservet imperia.* loca SS. Scripturæ jam adducta. Addatur Tob. Wagnerus *Inst. Hist. lib. 2. c. 1. §. 1. p. m. 113.* (3.) *Destruat etiam & destituat imperia. Dan.* II. 21. Ita quoque censet ipse Christus *Ioh.* XIX, 11. Adonia 1. *Reg.* II, 16. Regina Æthiopica 1. *Reg.* X, 9. & Ferdinandus II. Imperator. Ita enim eum philosophatum esse Guil. Lamormainus *in ejus virtutibus c. 6. p. 80.* refert: res Mortales omnes suam habere periodum, Nasci, Crescere, Deficere: fieri posse, ut Austriacorum Imperium, in Ipso concludatur: &, si DEO ita visum fuerit, se non modò non refragari, sed nec tristari, &c.

LXX.

Quid? quod 4. ipsa *Ornamenta* & *Subsidia* α. principalis officii non aliundè sint quàm à *DEO.* Ad *HUNC* enim referenda est omnis *Spes* principum β.; ab *HOC* etiam est principum *Sapientia* γ., *Divitiæ* δ., *Gloria* ε., *Fortitudo* ζ., *Defensio* η., *Victoria* θ., omnisque *Prosperitas.* ι.

α. *Decus* dulce & *Præsidium* vocaret Horatius. *vid. lib. 1. od. 1. v. 2.*

ubi

ubi de Mœcenate. Simili modo Virgilius S. Æneid. ait·
- - *Decus* & *Tutamen* in armis.

ε. Justinianus Imp. *in pr. de concept. ff. ad Tribonianum :* ita Nostros, *inquit*, animos ad *Dei* omnipotentis erigimus adjutorium, ut neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus vel nostro ingenio ; sed *omnem Spem* ad solam referamus summæ providentiam TRINITATIS.

γ. Hic largitur *Spiritum Sapientiæ* Dan. II, 22. ut Imperantes intelligant, quomodo Rempubl. gubernare debeant. 1. *Reg.* III, 9. 12.

δ. Gen. XXIV, 35. 1. Reg. III, 13. Just. Lipsius *in præfat. lib. de milit. Rom.*

ι. Dan. II, 37. Deus cœli Regnum & Fortitudinem & Imperium & *Gloriam* dedit tibi, (scil. Nabachodonoseri R. Assyriorum) & omnia, in quibus habitant filii hominum & bestiæ agri, &c.

ζ. Psalm. XIIX, 30. Dan. II, 37. Admirationem hoc loco meretur, quod inter Turcarum imperatores fuerit, qui *Fortitudinis* indolem aut successum adscribat Deo. Ita enim conceptus est Titulus apud Becmannum *de notit. dignit. illustr. diss. 3. c. 3. §. 2. p. 74.* Sultanus, Rex & Filius Imperatoris Turcici, *Pugnator* DEI, Græcorum, Babyloniorum, minorisque Hierusalem Rex, Bassa Jordanorum, Idumæorum & Tamasinorum, *Gaudium Dei*, Majoris & Minoris Ægypti Rex, illuminatus Princeps Alexandrinorum, Armeniorum & omnium eorum, qui in Paradiso mundano vivunt, Filius Mahumeti & Custos Civitatis suæ, Administrator Paradisi mundani, legens Sancti Sepulchri Mahometani, Rex Regum, Princeps Principum, Dominus Dominantium in Mundo, viventium ab Eois in Hesperos, *Bellator Deorum*, & super omnes in mundo degentes sublimatus : Deus Unionis, Dominus Sanitatis, Angelus Paradisi, strenuus Persecutor totius Christianitatis, Spes Solamenque Ethnicorum, Dominus & Heres Mundi.

η. *Gen.* XV, 1. *Psalm.* III, 4. *seqq. arg. l. 2. pr. ff. de offic. Præf. Prat.* Add. quoque Lipsius *Polit. lib. 4. c.* 10. *n.* 47.

θ. *Psalm.* XIIX, 30. 1. *Maccab.* III, 18. Jungam hisce Caroli M. diploma, quo An. 788. Virum illustrem, Comitem adornavit: I. N. S. E.

I. T

Digitized by Google

I. T. Carolus Divina Ordinante Gratia Rex. Si Domino Deo exercituum succurrente *in bellis Victoria* potiti sumus, in Illo & non in Nobis gloriamur: & in Hoc seculo pacem & prosperitatem, & in perpetuo Futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Cætera videantur apud Henr. Meibomium *in vindiciis Billinganis, & in notis ad VVitichindi annales.*

ι. Ita enim statuo, itaque statuendum ab omnibus judico (inquit Phil. Cominæus *lib. 5. histor. c. 9. fin. p.* 314.) & *Prosperitates* eximias & insignitas *Adversitates* Principum, ex voluntate Divinæ providentiæ proficisci.

LXXI.

Fortassis etiam ϛ. dici potest, hanc formulam in Exordiis (quæ alias à Deo capienda sunt α.) titulorum adhiberi solitam, pro *Invocatione exordiali* habendam esse. Certè sunt auctores, qui eam tali invocationi Assimilant β., vel Surrogant γ.

α. Uti notant Interpretes ad illud Virgilii *eclog. 3. v. 60.* ab Jove principium. & ad Plinii Panegyr. *c. 1. § 1.* Exemplum sistit Justinianus *in procem. Inst.* ita *in L. in nomine 2. pr. C. de Offic. Præf. Prætor. Afric. Nov. 80. Nov. 85.*

β. Joh. Christ. Becman. *in notit. Dignit. illustr. diss. 1. c. 3. th. 7. p. 27.* ait: huic (titulo DEI GRATIA) simile est, quod apud veteres Germanos legere est: *in* DEI *nomine.* item: *in* CHRISTI *nomine.*

γ. Lucem hæc accipiunt ex verbis Cypr. Regneri *in Censurâ Belgicâ ad procem. Inst. p. 2.* ita sonantibus: Olim Comites Hollandiæ *in nomine SS Trinitatis* Constitutiones suas auspicatos fuisse *scribit Scriver. in suâ Batav.* Ceterum hodie nec Impp. nec Reges, nec Principes Christiani dictam *invocationem Christi* suis Epistolis aut Placitis præmittunt, sed potius *Gratiarum actionem*, quæ tamen coincidit cum *Invocatione*; quoniam per eam Principes non solum *Titulos suos, sed ipsas etiam Constitutiones* DEI GRATIÆ tribuunt. Utut sit, nemo tamen dubitet, quin Principes leges & actiones suas exordiantur ab *invocatione Dei*, si non Externa, saltem Interna & inter Privatos parietes facta, quæ sufficit. Add. Giphanius *ad idem Procem. Institut.*

LXXII

LXXII.

6. Illud Minus dubii habebit, si eam cum M. Zuer. Boxhornio α. pro formula *Pietatis, DEO* debitæ, habebimus. Nam & aliàs Principes audire volunt Piissimi, Religiosissimi, Sanctissimi β.

α. In Polit. lib. 1. cap. 4. pag. 42. confer etiam J. Helffr. Clotz. diss. de Tit. honorif. cap. 5. §. 7. p. 44.

β. I. L. Speidel. Spec. Jur. litt. G. n. 155. p. 519. a. Joh. Bodino tamen (*de Republ. lib. 1. c. ult. n. 173. & lib. 2. c. 6. n. 215.*) stomachum movent illa epitheta. cur? quia hac ratione *Deo*, quod ipsius proprium est, impiè eripiatur. Sed Bodinus à seipso refutatur *d. c. ult. in pr.*

LXXIII.

7. Cum Principes Alibi vocentur α. *Dii* β. *Vicarii Dei* γ., *Imagines Dei* δ., *Deo Proximi* ε, ut alia eaque affectata epitheta ζ. taceam η. quidni etiam in Titulis suis mentionem faciant *DEI?*

α. Imò quidam eò arrogantiæ processerunt, ut *Dii* non solùm *Vocari*, sed etiam *Esse* voluerint. Veteribus nota fuerunt ea quæ de Alexandro Macedone dinarrat Caspar Ens *Epidorpid. lib. 2. p. m. 30.* Agellius *lib. 13. c. 4. Noct. Attic.* de Domitiano Suetonius *c. 13. m.* & de Caligulâ Paul. Diaconus. *l. 7. c. 20.* Nostro Seculo Indicarum rerum scriptores Regem *Bisnagar* vituperarunt, ob fastuosum & fastidiosum hunc Titulum: Sponsus bonæ sortis, Magnarum Provinciarum DEUS, Regum potentissimorum Rex, omnium equitatuum Dominus, Magister & Doctor loqui nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium, quæ videt, Conquisitor, conquisitorum Conservator: quem octo mundi partes metuunt, Eques cui nemo par, & fortissimorum quorumque Debellator, elephantorum Venator, Dominus Orientis, Austri, Septentrionis, Occidentis & maris. hæc Petr. Jarric. *tom. 1. thesaur. rer. Indic. m. p. 653.* Le Blanc. *itiner. part. 1. c. 11.* Obsignabo hæc verbis gravissimis Conr. Rittershusii *lib. 2. partit. Feudal. c. 1. p. 284.* fateor equidem, *subditos* ita erga suum Principem affectos esse debere, ut pro NUMINE & pro DEO quodam terreno habeant, colant ac venerentur; sed an *Principem ipsum* hæc sibi arrogare & de se prædicare deceat, subsisto.

 β. Ipse

ε. Ipse David *Ps.* XLVI, 10. inquit: *Principes* populorum congregati sunt cum *Deo* Abraham: quoniam *Dii* fortes terræ vehementer elevati sunt. *Ps.* LXXXI. 1. *Deus* stetit in Synagoga *Deorum*; in medio autem DEUS dijudicat. *Ps.* LXXXII, 6. 7. Ego dixi: *Dii* estis, & filii excelsi omnes, &c. Quo si respiciatur (inquit Bullæus *in discurs. Acad. 5. de Majest. Imper. f. 344.*) excusationem admittere videtur locutio eorum, qui Principibus viris vultum *Divinum*, Æternales vultus, *Divinum* splendorem, Æternitatem & Perpetuitatem attribuerunt, & rescripta Imperatorum *Divinas* constitutiones & *Divina* oracula nominarunt. Quæ aliàs, nisi ita intelligantur, ridentur & impia vocantur.

γ. Christoph. Besoldus *diss. Polit. de præcedentia, c 2. th. 8. p. m. 134.* DEI *Vicarius in terris*, inquit Cacheran. *decis. 50. n. 5. p. m. 127. Vice-DEI* vocem non adeò abnuisse videtur Paulus V. P. R. cujus Effigies multis libris Romæ & Bononiæ editis ipsique dicatis præfixa fuit cum tali inscriptione: Paulo V. VICE-DEO, Christianæ Reipublicæ Monarchæ invictissimo & Pontificiæ Omnipotentiæ conservatori acerrimo. Solerter tamen tunc Eruditi observarunt, quod illorum verborum (paVLo V. VICe Deo) literæ numerales fatalem illum Bestiæ Apolypticæ (*Apoc.* XIII, 18.) numerum 666. exhibeant. vid. Samuel Maresius *in dissert. de Antichristo p. 156.*

δ. Barn. Brisson. *de regno Persar. lib. 1. p. 8. m.* ubi Menander vocat Principem εἰκόνα ἔμψυχον Θεοῦ.

ε. Eutropius *lib. 8.* de Trajano loquens: Ob hoc per orbem *Deo Proximus* nihil non venerationis meruit. Ausonius *de Gratiano:* Deus, & qui *Deo Proximus* tacito munera dispensat arbitrio. Arnobius *lib 4.* ibi: *Diis Proximi* atque augustissimi Reges. Tertullianus *ad Scapulam*, ibi: colimus Imperatorem, ut hominem à *Deo Secundum.*

ζ. Talia sunt, si quis audire vult 1.) *Dei Filius.* vid. Herm. Conring. *in Castig. alter. Append. Exam. Erberm. p. 55. 56. ubi de Innocentio X. P. R:* (2.) *Dei Nepos.* vid. Theatr. Europ. *part. 5. pag. 841.* An. 1645. de Sultano Ibrahimo, moderni Turcici Imperatoris patre. 3) *Deorum Consanguineus.* Weberus *in art. discurrendi font. 91. ex. 4.* de Dario 4.) Rath und Fürst der Götter. vide apud J. Limnæum *I. P. lib. 6. c. 5. n. 127.* Saladini epistolam ad regem Poloniæ. (5.) DEI *Magnum Camerarium* se nominavit Johannes Basilius M. Supremus Russiæ Princeps. J. C. Becman. *in notit.*

Digitized by Google

tit. Dignit. diss. 3. c 3. (6.) *Dilectus Deo* audire vult Abyssinorum Rex apud eundem Becmannum *dissert. 2. c 3.* § 6. *p. 60.*

ɳ. & obsignem voce, quâ usus fuit Schah Abas, Persarum rex (referente Adamo Oleario in der Persianischen Reisebeschreibung *lib. 5. c. 29. p. 632.*) Man kan einem mit Tituliren weder Grösser noch Kleiner machen.

LXXIV.

8. Ideò magistratus, comprimis Supremi, *DEUM* ante Provincias suas memorant, quia in illis *non alium recognoscunt Superiorem* quàm DEUM *.

* Hanc rationem urgent Scriptores partim in *Genere*, partim in *Specie*. In *Genere* quidem Jac. Menoch. *consil. 2. n.* 104. Accedit eidem Jac. Andr. Crusius *in tr. Polit. lib. 1. c. 5. p. 40.* ibi: hoc titulo, DEI GRATIA, Principes indicant, *nullum se Superiorem recognoscere*. Luculentius autem J. Limnæus *in additionib. Priorib. ad I. P. lib. 4. c 6. n. 15. p. 421.* *In specie* autem (1.) de *Imperio Romano*, Matt. Rümelin *part. 1. diss. 1. ad A. B. th. 4.* Dom. Arumæus *vol. 1. disc. 3. p.* 14. 15. 16. Joach. Cluten. *in Sylloge rer. quotid. th. 4. litt. E. p.* 14. 15. (2.) ad *Galliam* respiciens Bertr. Argentræus (*ad consuetud. Britann. art. 56. n. 3.*) de illo DEI GRATIA ait, quod sit *Summi & Illibati imperii* decus & *Prærogativa* nulli mortalium obnoxiæ.

LXXV.

9. Principes prædicant *GRATIAM DIVINAM*, ne quid tribuisse videantur *Juri alicui α.*, item ut excludant *Meritorum propriorum* β. pretium.

α. In jure Civili restitutio in Integrum, quæ est *Gratia*, alia est ab ea, quæ est *Justitia*. Joh. Brunnem. *in repetit. paratitl. Wesenb. 4. ff. 1. qu. 7. p. 146.* jure Feudali quoque is *Gratiâ* Domini ad feudum vocatur, qui *Iure* non vocatur. Casp. Bitschius *in commentar. ad 2. Feudor. 31. notabili 3 p. 570.* Joh. Ad. Schragius *in indice Feudali sub voce* Gratiæ.

β. Exprimere hoc voluerunt Fridericus III. in der Reformation zu Franckfurt am Mayn An. 1442. aufgerichtet/ in pr. Sintemahl Wir von Gottes Gnaden unverdienter Sache zu der Würde des Röm. Königl. Gewalts erhöhet. Et Maximilianus I. in der Reformation. Die Frey-Schöpffen und das heimliche Gericht zu Westphalen betreffende / zu Wormbs/

 An.

Digitized by Google

An. 1495. in pr. Nachdem Wir von Gottes Gnaden zu der Höhe Röm. Königl. Würde unverdient beruffen und kommen seyn. Extat etiam Bulla Alexandri VI. An. 1497. ad Ferdinandum & Isabellam data, his verbis: Carissimo in Christo Filio, Ferdinando regi, & Carissimæ in in Christo Filiæ, Elisabeth reginæ, Castellæ, Legionis, Arragonum, &c. Illustribus Salutem. Cum ad hanc Sacram Petri sedem Divina favente Clementia, *Meritis licet imparibus* evecti fuerimus, &c. Videatur Laërt. Cherubin. *Bullar. t.1. p.346. edit. ult.* Illustrationis loco addam locum S. Augustini *epist.106.* scribentis: Operibus Debitum redditur, sed *Gratia* Gratis datur, unde & nuncupatur.

LXXVI.

Ad *Alios homines* relatus Princeps varias itidem habet rationes, ut se *DEI GRATIA* esse scribat. Ratio 1. est, quia sic ad imitationem *exempli α. Paulini* se componit ϐ.

α. Monitum ipsius S. Pauli Apostoli: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. 1. *Cor.* XI, 1.

ϐ. Sic enim de titulo NOS DEI GRATIA sentiunt Scriptores. J. H. Clotz *in diss. de tit. honorif. c.5. §.3. p.41.* Archiepiscopi, (inquit) *more Pauli* in chartis ab antiquariis collectis, *Dei Gratia* vel *miserationi Divinæ* munus suum accepto retulerunt. *Idem ibid.* Istius moris etiam alii se participes fecerunt, fortè moti textu 1. *Cor.* XV, 10. cujus tenore *quisq; se* GRATIA DEI, talem, qualis est, prædicare potest. Calculum adjicit suum Gab. Barth. Gramondus *lib.1. Hist. Gall. p.m.71.* ubi dicit: Lusitaniæ olim regulos, quorum ditio transiit in Austriacam gentem, *Dei unius beneficio* acceptam tulisse coronam suam, per veterem inscriptionem monetæ insculptam: *Gratiâ Dei sum id quod sum.*

LXXVII.

2. Quia titulus talis facit ad denotandam *Humilitatem α.*, aut *Modestiam ϐ.*

α. Titulo eo Episcopi & Abbates utebantur ad *Humilitatis* ostentationem, & quòd sui ipsorum conscii nihil haberent, quod sibi tribuerent, præter unicum, *Humilitatem* DEI GRATIA nitentem. Nunc ea locutio ad Fastum & supinitatem, adeoque apicem ipsum Honorum, omnem Humilitatem abjicientem, adhibetur. Sunt verba I. C.

Bec-

Becmanni *in notit. Dignit. diss.1. c.3. th.6.* Pertinent huc quoque verba Dan. Hänichens Churfürstl. Sachs. Hofpr. in der zu Torgau d. 9. Mart. 1612. gehaltenen Landtags-Predigt / p. 122. Christliche Regenten haben einen schönen Gebrauch / daß sie sich bey allen Tituln der Demuth erinnern/ wenn sie schreiben und oben an setzen : Wir von Gottes Gnaden. Addatur Generosiss. V. L. à Seckendorff im Teutsch. Fürsten-Staat *part.2. c.1. n.5. p.56.* ibi: welcher Titul mehr ein Zeichen DER DEMUTH.

ε. quam lex Christianæ fidei jubet, uti in hac causa loquitur I. Th. Sprenger. *in Font. I.P. c.20. p.225.*

LXXVIII.

Quæ tamen ratio hautquaquam obstat, quo minus 3. cum Th. Höpinck. α. dicatur, quod idem titulus adhibeatur ad denotandam *Prærogativam* β., *Auctoritatem* γ., & *Autocraticæ Potentiæ eminentiam.* δ.

α. Verba ejus (*in tract. de Insignib. c.22. §.2. n.34. p.1015.*) ita habent: non videtur hic titulus *nudè Modestiam* referre, sed potius *Prærogativæ, Auctoritatis ac Magnificentiæ cujusdam signum* est infallibile, ut novissimè omnium tradit Limnæus, Draco & Besoldus.

β. Præclarè id probat I. I. Speidel. *in spec. Iur. litt. G. n. 155. p. 519. a.* quem locum supra *th. 40.* adduximus.

γ. unde etiam Formulam *Auctoritatis* vocat M. Zuer. Boxhorn. *lib. 1. Polit. c.4. p.42.*

δ. Applicat hæc verba Nic. Myler. *de Princip. & Statib. part. 1. c.30.* & Chr. Besoldus *sect. 1. de Majestate c.2. §. 6. p.17. principibus imperii Germanici*; sed nullum est dubium, quin *Omnibus principibus* applicari possint, si scil. sunt tales, qualis (secundum Gregor. Tholosanum *lib.47. Syntag. c.14. n.15.*) est Rex Galliæ i. e. Αὐτοκράτωρ & Monarcha ac Sui arbitrii.

LXXIX.

Etiamsi verò *Eminentia* nunquam invidiâ careant α. rectissimè tamen 4. credere potuerunt Principes, eundem Eminentiæ titulum β. quo Potestatem sibi concessam ipsi *DEO* acceptam ferunt, ad *Invidiam diluendam* facere γ.

α. Ju-

ε. Judicio & verbis Velleji Paterc. *lib. 2. c. 40. §. 5.* cui assentitur (expertus fortè) C. I. Cæsar apud Dion. Cassium *lib. 38. p. 84. D.*

δ. Titulus *Eminentiæ*, & *Maximus* esse videtur, quod *Divinâ Favente Gratiâ* scribant Imperator, Reges, Principes, inquit Paul. Voët. *Comment. Proœm. Inst. p. 11.* unde etiam Generosiss. V. L. à Seckendorff im Teutsch. Fürsten-Staat *part. 2. c. 1. n. 5.* vocat ein Zeichen der Hoheit.

γ. Similes meditationes exhibet I. I. Speidel. *Spec. Iur. litt. G. n. 155. p. 519. a.* in his verbis: ut iis Principibus & Magnatibus titulus von GOttes Gnaden *Non invidendus*, qui potestatem Sibi concessam, à *Deo* receptam agnoscunt: ita econtra ii, qui quasi Propriis viribus Divinitatem sibimetipsis tribuunt, *Taxandi veniunt.*

LXXX.

5. Quia Imperantium interest, ut *Majestas* eorum *Sacra Sanctaque* habeatur, prudentissimè eam *DEI GRATIA* innixam esse α. profitentur β.

α. Intellexerunt hoc Romani, qui sub statu Populari Tribunorum plebis potestatem *Sacro Sanctam* esse voluerunt, ut patet ex verbis Cænuleji apud Livium *lib. 4.* Sub statu autem Monarchico inprimis id studebant Imperatores (*inquit Arn. Clapmarius in arcan. rerump. lib. 3. c. 12. p. 165.*) ut non tantum Fortes essent & existimarentur, verùm etiam *Sancti ac Venerabiles*: quia nihil animos Plebis magis percellit, quàm *Religio.* Quod Curtius de Persis testatur *lib. 8.* Persas prudenter Reges suos inter *Deos colere.* Majestatis enim imperii, salutis esse tutelam. Unde illud Apostoli: Dico *Dii* estis. Quo nomine Imperatores Rom. & Christiani se *Sanctos* & *Divinos* appellabant, *hac Clapmarius.* Justinianus Imp. etiam in Legibus suis eadem inculcat *in L. ult. C. de Legibus* dicens: Imperatoris Majestate nihil in terris Majus ac *Sanctius.*

β. Ad hoc argumentum allusisse videtur I. I. Speidelius *in spec. notab. litt. G. n. 155. pr. pr 519.* Omnimodis huc facit monitum Stagiritæ: oportet Principem res *Divinas* videri curare seriò & ante omnes. (cur?) Nam & minus Injustum aliquid sperant ab eo Principe pati, quem *Religiosum Deorumque verentem* existimant; & minus ei Insidiantur,

ut

ut *tutores & adjutores* habenti etiam Deos. *lib.5. Polit. c.* 11. J. Lipsii *Polit. lib. 4. c.9.* §. 107.

LXXXI.

6. Quia *Usurpationis iniquæ* labem ſenſim Deteſtari videtur, qui *DEI GRATIA* ſe conſtitutum aſſerit*.

* Apertè illa duo invicem opponuntur in epiſtola Henrici IV. Imp. ad Gregorium VII. P. R. (aliàs Hildebrandum dictum) ſcripta: Henricus non *Uſurpativè*, ſed *piâ Dei ordinatione* Rex, Hildebrando non jam *Apoſtolico*, ſed *Falſo monacho*, &c. Juſtus Reuberus *in Hiſtor. Impp. fol.* 196.

LXXXII.

7. Ideò quidam Principes illud *DEI GRATIA* tantò libentius ſibi adaptarunt, quantò acrius cavere ſtuduerunt, ut ab *Origine aut Commercio* dignitatis ſuæ *excluderent Pontificem Romanum* α, vel *Populum* β. aut *Alios* γ.

α. Vulgatum eſt (inquit Carol. von Hagen *Inſtit. I. P. lib.* 1. *c.2. p.*33.) in litteris ac diplomatibus Impp. Wir von Gottes Gnaden; non Von des allerheiligſten Vaters des Pabſts Gnaden. Iniquiſſimam Pontificum audaciam luculenter exponit & retundit Balth. Meiſnerus *præfat. Part. 3. Philoſoph. Sobriæ.* Sic rectè Fridericus Ænobarbus Germaniæ Epiſcopis, eum commonentibus, ut debitam reverentiam Pontifici exhiberet, reſpondit: Debitam Patri noſtro reverentiam libenter exhibemus; *liberam Imperii coronam Divino tantum beneficio adſcribimus.* Arumæus. *ad A. B. diſp.* 1. *th.* 23. Item *vol.* 1. *de Iur. Publ. diſc.3. pag.*14. *ſeqq.* Idem fatetur Carolus V. in Comitiis Auguſt. R. A. *de Ann.* 1548. *in pr.* Ferdinandus (reſignante Carolo V. Imperium) ſe indubitatum ſucceſſorem non ex *Pontificis Gratia*, ſed ex Electorum creatione profitetur R. A. *de Ann.* 1559. *pr.* Quod Imperium Romanum à Deo ſit, & non à Papa, videri poſſunt latius Petr. de Andlo *lib. 2. c. 9. p. 84. ſequ.* Matt. Rümelin. *part.* I. *diſſert.* I. *ad A. B. th. 4. litt. b.*

β. Gallorum cautio potiſſima eſt, ut in regia dignitate aſſerenda nihil tribuant *Populo*, de quo Paul. Voët. *Comment. Proœm. Inſt. p.* 11, 12. Similia

milia prodit I. I. Speidel, *in spec. Iur. litt. G. n.* 155. *p.* 519. *b.* inquiens: titulus DEI GRATIA præ Cæteris optimè convenit Regi Galliarum. Non enim poteſtatem ſuam *Populo* acceptam fert, nec *Pontifici*, aut ulli mortalium, ſed immediatè unico *Deo*.

γ. v. c. *Majores.* Ita enim Henricus Auceps Imp. ad Filium Ottonem M. en tibi Imperium, non à *Majoribus* mihi relictum, ſed per Memetipſum acquiſitum, & à ſolo Deo traditum. Wittich. *lib* 2. *rer. Saxon.* An etiam ad *Electores* excludendos titulus *Dei Gratia* faciat, diſſerit & aſſerit B. Carpzov. *diſp. Feud.* 9. *ad tit.* 24. *&* 26. *A. B. qu.* 4.

LXXXIII.

Ut tandem etiam *Speciales* i. e. *Electoribus* cæterisque *Principibus* imperii attributæ Rationes adducantur, ſciendum eſt, ideò Eos (æquè ac Imperator aut Reges) titulo *NOS DEI GRATIA* uti. 1. quia *Imperatorem imitari* voluerunt, imitationis talis exemplo obſervato in *Henrico* Bojorum Duce & Electore *.

* Operæ pretium eſſe duco, adducere teſtem J. H. Clotz. *diſſert. de tit. honorif. c.* 5. §. 7. ſic dicentem : adjungitur Electorum nomini DEI GRATIA, quo *Imperatorem* ſuâ Electione talem *æmulari voluere:* non quod Imperatorem ſuo Defraudare vellent jure , ſed potius ad conteſtandum ſuam in Deum pietatem , cujus Gratia omnes ſunt, quales ſunt. Primum autem iſtius moris auctorem laudant *Henricum Bavarum*, qui perinde ac Impp. & Reges in decretis & epiſtolis ſeculo X, ſe DEI GRATIA Ducem jactavit. Quod cæteri coætanei Electores, eorumque Succeſſores, in prædicando *Deum* dignitatis ſuæ auctorem, hunc Henricum æmulati ſint, quisque mecum confitebitur, ſi inferiorum Principum morem obſervaverit. More illo ab Henrico Bojorum *Duce & Electore*, ſe GRATIA DEI ſcribendi, inducto, aliis quoque, in *Ducali dignitate* perpetuis, non difficile fuit Henricum *æmulando* in chartis decretisque ſe DEI GRATIA *Duces* nominare. Hactenus *Clotzius*, qui in iis, quæ de Henrico (Bojorum Regulo) adducit, reſpexiſſe videtur ad locum I. Aventini *lib.* 6. *pag.* 379. *m.* ſupra quoque *th.* 58. à nobis exhibitum.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV.

Fortaſſis etiam inter primos imitatores fuerunt, qui *DEI* & *IMPERATORIS GRATIAM* ſimul & conjunctim celebrarunt*.

* Subodoratus eſt hoc Huld. Eyben *in diſſert. de illo: Quemlibet Statum poſſe in ſuo territorio, quantum Imperator in univerſo Imperio. c. 9. pag. 456.* (apud Ahaſv. Fritſch. *part. 2. exercit. J. P. 9.*) ita dicens: ſolidæ iſti & regii apicis æmulæ poteſtati firmatæ, ſenſim deinde Externa quoque & inania, quæ vocat Tacitus, titulorum adjuncta fuerunt. Et fortè *Primum DEI* ſimul ac *IMPERATORIS* Gratiam in nuncupationum ſolemnia induxere Proceres; preſſa *Poſtmodum* & omiſſa Imperatoris mentione. Clarius eadem exponit & proponit I. H. Clotz. (*in loco nuper citato*) ubi pergit: ne verò (principes Imperii) in præjudicium Imperatorum agere viderentur; proinde ad avertendam eam ſuſpicionem *Primò* ſe DEI ac IMPERATORIS Gratiâ Duces ſcripſere, Exemplo Conradi de Zæringen, qui Ann. 1128. in initio chartæ ſuæ, *Dei* & *Imperatoris* Gratiâ dignitatem ſe accepiſſe, eſt teſtatus. Gvillim. de reb. Helvet. *lib. 1. c. 15. pag. 284.* Poſtea verò multi Duces & Principes (ob multitudinem jam non nominandi) omiſſâ *Imperatoris* Gratiâ, *DEI* tantùm Gratia Duces & Principes ad noſtram memoriam in inſtrumentis ſuis ſignarunt.

LXXXV.

2. Quia plurimi *PRINCIPES* in *Stemmatibus* ſuis Imperatorum aut Regum nomina memorant α. Ne dicam quod *ELECTORES* in ſpecie, ratione *Dignitatis* ſuæ, æquiparentur *Regibus* β.

α. Principes Imperii adhibent in titulis ſuis DEI GRATIA, quia (inquit Henr. Kipping. *lib. 2. I. P. c. 10. § 17.*) plurimi eorum inter *Majores ſuos numerant Imperatores*, à quibus familiæ ingens ſplendor addi poterat; multi etiam *orti ſunt è proſapiâ Regum veterum*, qui olim cum Plena poteſtate regnabant in variis Germaniæ populis, donec Impp. Gallici, ſive Reges ſive Principes illos jure Abſoluto uſos hactenus in poteſtatem bello redigerent, atque imperio adjungerent,

Digitized by Google

rent, magnâ parte potestatis suæ exutos; aut ipsi etiam Imperio sese ultro obligarent, Vicinorum Regum, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, armis perpetuis debilitati, ne omnino perirent. *Retinebant splendorem Titulorum, velut Solatium diminutæ potestatis.*

β. Dignitas enim Electorum non solùm patescit ex eo, quod ab Imperatore vocentur *Imperii Columnæ & Latera*, A. B. c. ult. 3. cum sacri, &c. item *Columnæ, quæ sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ pietate sustentant, quorum præsidio dextra Imperialis potentiæ roboratur*, A. B. c. 3. in pr. *Palmites Imperiales, Candelabra lucentia in unitate spiritus septiformis*, A. B. pr. *Propinquiora Sacri Imperii membra*, cap. 2. §. & quia A. B. Verùm etiam, quod Regibus æquiparentur. Dom. Arumæus *ad A. B. discur. 4. th. 1. pag. 193.* Unde & D. Mart. Lutherus in Tisch-Reden *c. 38. pag. 503. fin.* Daß die Churfürsten den Königen schreiben Euer Liebde und nicht Euer Gnaden / machet daß sie sind Königen gleich geachtet. Confer etiam Th. Reinkingk *de R. S. & E. lib. 1. class. 4. c. 3. pag. 355.*

LXXXVI.

3. Quia Principes imperii *bona Regalem dignitatem annexam habentia* possident*.

* Rationem hanc approbari video Theod. Höpingo *de Insignibus c. 22. §. 2. n. 34. p. 1015.* Höpingo etiam adstipulatur Matth. Stephani Pomer. *in Synop. Jurisd. lib. 2. c. 7.* his verbis: nostri Principes Imperii ea phrasi NOS DEI GRATIA non ad Despectum Imperatoris, sed ad Amplificandam majestatem ejus, & *dignitatis Regalis sibi clementer concessa defensionem* utuntur. Tanto enim quis Major esse censetur, quo Majoribus & Illustrioribus præest. *Nov. 15 §. nos igitur.* Natta *consil. 138. n. 9.* Et nescio, annon eo quoque alluserit Ahasver. Fritschius *in manuali jur. publ. pag. 1.* ubi Regalium mentionem injicit, his usus verbis: Sunt in Germania nostra Principum ordini adscripti, qui dicuntur gefürstete Aebte / propterea, quod jura principum ac *Regalia habeant*, omnesque actus, jurisdictioni territoriali competentes, exercere possint, & in Ordin. Cameræ comprehendantur sub verbo Fürstenmäßige. Ut sunt cumprimis Abbas Fuldensis, Abbas Albi-Castrensis, Bremensis, Stabulensis, S. Emerani Ratisbonæ, S. Galli in Helve-

Helvetia, Campidonensis, Murbacensis, Corveensis, & olim Hirsfeldensis, &c. Ac hujusmodi Abbates utuntur in literis Titulo von GOttes Gnaden. Reliqui Prælatorum Ordini accensentur. hæc Fritschius.

LXXXVII.

4. Quia titulus *DEI GRATIA* Principes Imperii *Immediatos* apertius distinguit à ceteris, qui sunt *Mediati & Subordinati* aliis *.

* Indicat eadem Nic. Mylerus *de Princip. & Stat. imper. Germ. part. 1. c.30.* in his verbis: titulo DEI GRATIA sensim irrepto, Ecclesiastici Principes Immediati, in hunc usque diem utuntur, fruuntur. Ideo etiam hoc pro *gloria Principum imperii Immediatorum* asserendum, quod hac inscriptione nulli alii Duces aut Comites *Subalterni*, cujuscunque Regis aut Monarchæ existant, utcunque se Liberos esse pronuncient, suis rescriptis aut instrumentis publicis, absque læsæ Majestatis crimine uti audeant. arg. traditorum Anton. de Padilla *ad l. sacri affatus. 6. n. 3. C. de diversis Rescript.*

LXXXIIX.

5. Quia Principes imperii in territoriis suis, non minus ac Imperator in imperio, *Universalem Jurisdictionem* habent *.

* Plus satis nota est apud Publicistas hæc regula: videatur G. Hornius *orb. Pol. part. 2. p.m. 186. n.1.* Huld. Eybeni, *Professoris Gissensis dissert. peculiar. apud Ahasv. Fritsch. part. 2. ex 9. I.P. c. 8. p. 448.* Uti autem alibi de ejus sana & moderata *Explicatione* solliciti sumus: ita nunc *Applicatio* ad præsentem causam more solito (i.e. secundum Scriptores publice notos) ostendenda est. Matth. Stephani *Synop. Iurisd. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 40.* præeat hisce verbis: ob *Vniversalem Iurisdictionem*, quam Principes imperii sibi perpetuò concessam habent in Territoriis suis, & quidem æqualem ei, quam habet Imperator in universo Imperio Romano, relatione nimirum habita ad subditos uniuscujusque provinciæ, videmus Principes, uti & *Comites*, so gefürstete Grafen / itemque *Prælatos & Abbates*, qui post Principes Impe-

rii in Sessionibus, ubi Comitia celebrantur, locum suum habent, ditiones & provincias suas GRATIÆ DEI acceptas ferre: ut patet ex eorum rescriptis, epistolis & edictis, in quibus utuntur sublimi illa phrasi: Wir von GOttes Gnaden/ h. e. NOS DEI GRATIA. Quæ tamen locutio nemini, nisi ei qui Solum Deum & Ensem recognoscit, duntaxat competit. &c. Sequitur in simili scribendi argumento Andr. Knichen *Comment. de Saxon. non Provocandi iure c. 1. fin. ad verb. Ducum Saxoniæ, f. 180.* Germaniæ Principes decorati sunt titulo ac dignitate Perpetua & in Heredes transitoria, exercent omnem omnino Jurisdictionem in Subditos, quam Imperator in toto orbe: idcirco quilibet perhibetur Imperator in suo territorio. &c. *Paulo post subjungit:* in effectu Principes imperii juribus Regiis eodem modo, quo superiorem non recognoscentes, omnimodè utuntur: si quidem eo ipso quo Ducalis titulus illis confertur, tribuitur Regalis & omnigena potestas. Ob id (*addit tandem*) etiam assumunt phrasin DEI GRATIA. Sic etiam Huld. Eyben *in diss. peculiar. de illo: Principes imperii tantum posse quantum Imperator, &c.* (dissertatio illa est apud Ahasv. Fritschium *part. 2. I. P. ex. 9.*) *c. 9. p. 454.* ait: Apud nos illi etiam clausula DEI GRATIA utuntur, qui Imperatoris sese potestati obnoxios fatentur, & non Soli DEO, sed Illi simul dignitatem & ditionem suam accepto ferunt. Ejus rei causam non aliunde quam ex regula: Quemlibet tantum posse in suo territorio, quantum Imperator in universo, vulgo repeti cernimus. Concludam cum J. J. Speidelio *in Spec. Iur. litt. G. n. 155. p. 519. b.* dici etiam potest, quod Principes Germaniæ hoc (DEI GRATIA) titulo per consequentiam utantur, quia scil. in territoriis suis, respectu suorum Subditorum, *eandem vel parem censeantur habere Iurisdictionem* ac potestatem, quam Imperator in universos Imperii subditos.

LXXXIX.

6. Imò quia (uti loquitur B. Carpzov. α. & Gerh. Felsman. β.) in *consortium Majestatis Cæsareæ*, recepti sunt.

α. Verba ejus exhibeo, uti habentur *in Comment. De Lege Regia c. 1. sect. 11. n. 10.* Proceres & Status Imperii per Capitulationem Cæsaream

in

in Consortium quasi Majestatis videntur recepti, cum Majestas sit & definiatur Summa potestas. &c. Quo respectu Proceres Imperii optimo jure in suis scriptis, epistolis & edictis hac locutione utuntur, Wir von GOttes Gnaden.

β. *Inquiens:* Planius fortè erit, si dicamus hoc eò referendum, quod *in consortium Majestatis recepti*, atque ideo id iis concessum videri, ut quoque non obscurè sentit Th. Reinkingk *d. R. S. & E. lib. 1. class. 5. c. 6. n. 7. & 24.* Imò: (mi Cl. Feltmanne) non solùm *Th.* Reinkingk Regis Daniæ in Holsatia Cancellarius, tecum sentit, sed etiam Nic. Mylerus ab Ehrenberg / Cancellarius Ducis Wirtenbergici *in tr. de Princip. & Statib. Imp. part. 1. c. 30. §. 1.* ita differens: sanè Principum Imperii *Supereminentia & quasi Majestas* in territorio Ducali conspicua, præ aliis exterorum regnorum Principibus imprimis exinde clarescit, quòd Duces & Principes Germaniæ immediati in edictis, rescriptis & literis, ad subjectos & alios inferiores directis, inscriptione, von GOttes Gnaden/ utuntur, eisque se GRATIA DEI regnare præmittunt, sicuti communi Imperii observantia comprobatur, &c. Idem *ibidem §. 11.* emphaticè etiam dicit: *propter hanc Summæ potestatis communicationem*, Electoribus in A. B. c. 24. *Majestas* tribuitur. Quasi eam una cum Imperatore teneant.

XC.

Hactenus dicta suggerunt nobis Triplex πόρισμα seu consectarium. Imum esto: errare voluisse *α. Joh. Bodinum β.* quando illud *DEI GRATIA* in titulis Principum Germaniæ, inter *Levissima eorum axiomata* ponit.

α. lib. 1. de Republ. c. fin. p. 269.

β. *Errandi voluntatem* attribuimus in Germanicis rebus scriptori Gallico; multo tamen *Rigidius* de eodem loquitur Joh. Jac. Draco *de origine & jure Patriciorum lib. 3. c. 2. p. 233.* hisce verbis: hic autor (*Joh. Bodinus*) pro more suo protervo, in Principes nostros invehens, eam DIVINÆ GRATIÆ recognitionem rescriptis literisque præmitti solitam, inter *Levissima eorum axiomata* ponit. hoc bipedum Levissimum se prodens & Impiissimum.

XCI.

II[dum] In Principibus Imperii nostri verba *NOS DEI GRATIA* non arguunt tantùm formulam *Pietatis*, sed etiam *Auctoritatis* *.

* Adeò ut nobis (secundum ea, quæ *in th 78.* dicta sunt) tantopere obstare nequeant verba M. Zuer. Boxhornii, ita (*Politicor. lib. 1. c. 4. in notis p. 42.*) dicentis: Licet quidam etiam Principes, qui sub Alieno sunt imperio, hac formula (Wir von GOttes Gnaden) utantur: sed distinguendum hic est inter formulas *Pietatis* & *Auctoritatis*. Formula *Pietatis* utuntur, qui aliquem Superiorem habent; *Auctoritatis* verò, qui Nullum majorem agnoscunt.

XCII.

III[um] Illud etiam resultat, quod etiamsi super illa quæstione (*quo Jure Principes imperii utantur formulâ illâ, DEI GRATIA*) perquàm *Diversæ* * sint Dd. sententiæ, nihilominus *Conciliari possint*.

*. Diversitatem illam quadantenus aperit Jac. Lydicius *in notitia Ducatus Prussiæ c. 1. pag. 15.* in his verbis: Novi equidem *Tres esse sententias* de *Fundamentis formulæ*, qua Principes utuntur, Von GOttes Gnaden. Aliam scil. fovere MYLLERUM diss. 1. in Aur. Bull. th. 4. litt. a. quod *non jure Proprio*, sed *Privilegio* habeant. Aliam STEPHANI de jurisd. L. 2. p. 1. c. 7. n. 40. seqq. qui allegat *immemorialem Consuetudinem* ac *Patientiam imperatoris*. Aliam denique CARPZOVIUM, ad leg. Reg. c. 1. sect. 11. n. 10. urgentem, quod Principes *in Majestatis imperii Consortium recepti sint, & cum Imperatore eandem Majestatem teneant*. hæc Prussus & Prussiæ suæ diligens delineator. Nullum tamen est dubium, quin laudatus Scriptor controversiæ hujus historiam Accuratius narrare potuisset, si de ea ex professo potius quàm incidenter agere voluisset. Tentabimus ergò Nos illud in Thesi subsequenti.

XCIII.

Nam etsi quidam dicant, quod formulæ illius usus com-

competat jure *Non proprio seu Suo* , sed *ex Privilegio* α.; contra verò quidam dicant, quod principum imperii Stylus utique (in Sano tamen sensu β.) *Proprio jure* nitatur, *nullo Privilegio* γ. (quale certè Nec extat δ.) attento aut attendendo. Imò, etsi quandoque fundamentum illius tituli in *Observantiâ longissima* ε. indeque *Tempore immemoriali* ζ. & accessione *Imperatoriæ patientiæ* η. quæratur:

α. in qua sententia est Matth. Stephani *de jurisdict. parte 2. c. 7. n. 40.* Chr. Besoldus *thes. pract. litt. G. n. 74. p. 329. b.* Paul. Voët. *comm. ad* §. 1. *proœm. Inst. n. 2. p.* 12.

β. Sensus autem ille potissimum respicit *Autocraticæ potestatis eminentiam.* Repetere hic nolumus indicata Superius hoc cap. 4. th. 78.

γ. B. Carpzov. *disp. feud. 9. ad tit. 24. & 26. A. B. qu. 4. n. 32. p. 352. b.*

δ. Favente ipso J. Limnæo *lib. 4. I. P. c. 6. n. 32.*

ε. Idem ibidem. Adde thesin, 95.

ζ. J. J. Speidel. *spec. jur. litt. G. n.* 155. *p.* 519. *b.* Matth. Stephani *de jurisd. L. 2. parte 1. c. 7. n. 40.* Interstitium immemorabile vocat Andr. Knichen *de Saxon. non provoc. jure verb. Ducum Saxon c. 1. n. 83. p.* 183.

η. Rationes, in quibus fortè Patientia illa imperatoria acquiescere potuit, exhibet Speidel. *in spec. jur. litt. G. n.* 155. *pag.* 519. *b. post verba illa:* ex Imperatoris Patientia. Confer infra part. 2. c. penult. th. Et supra hoc cap. 4. th.

XCIV.

Tamen pacifica, & (sive *Dissita* sive *Adsita* tempora Principatuum imperii α. spectes,) commodissima est decisio *Nic. Myleri* β. & *Ahasv. Fritschii* γ., non Unum sed Duplex fundamentum amplectentium.

α. Nam ut de Principum imperii potestate accurate judicari possit, distinguenda sunt tempora *Vetera & Recentiora,* videatur Burgoldens. in notit. imperii parte 2. disc. 5. §. 1. p. 38. Nic. Myler in Archologia. c. 1.

Digitized by Google

c. 1. §. 7. p. 4. & c. 23. §. 2. 3. p. 222. Ad *Vetera* tempora respicit fundamentum Prius; *Recentiori* autem ævo inservit Posterius.

β. de Statibus imperii parte 1. c. 30. §. 9. & 10. p. 300.

γ. in manuali jurisprud. publ. litt. T. n. 1. p. 364. m.

XCV.

Nimirum 1. statuunt *Observantiam longissimam.* Hæc enim, uti *Tempus immemoriale & Imperatoriam patientiam* α. non excludit: ita *Privilegii loco* ζ. habetur. 2. statuunt *Autocraticæ potestatis eminentiam* γ. Autocraticâ autem tali potestate Principibus imperii concessâ δ. concedi etiam (opinor) poterit, ut se Αυτοκρατορικῶς i. e. pro *suo* arbitrio *Proprioq; jure* scribant NOS DEI GRATIA.

α. hæc quoque jungit Matth. Stephani *de jurisd. L. 2. p. 1. c. 7. n. 40.*

β. *arg. L. 3. §. 4. ff. de aqua quotid. & æstivâ.* J. Limnæus *I. P. L. 4. c. 6. n. 32.*

γ. Mylero & Fritschio assentitur in hoc Chr. Besoldus *dissert. de Majestate in genere sect. 1. c. 2. §. 6. p. 15.*

δ. Confer dicta superius ch. 78. litt. δ.

* * *

Sed nunc, ne limites Disputatoriæ schedæ transiliisse videar, cursum ulteriorem Abrumpo, *lampada*, (uti in Thesmophoriorum sacris dicebant) alii, & fortè *Fratri Germano*, traditurus: si tamen priùs recoluero symbolum (ceu refert Joh. Limnæus in notit. Regni Franciæ lib. 2. cap. 18 §. 24. pag. 854.) *Caroli M.*

GRATIA DEI

SUM quod SUM!


BIBLIOTECA NAZ. ROMA ... EMANUELE

Digitized by Google